dicatur ratione charitatis, ideoque perſonalis tantum, &
quæ diſtinctio generaliter nedum in dote, ſed etiam in ali-
mentis procedit, unde prodiit differentia, quam ut infra ha-
bemus in ſubſidiaria dote detrahenda ex bonis ſubjectis fidei-
commiſſo, iſto non obſtante, ubi agatur de aſcendente, ſe-
cus autem ubi de tranſverſali; attamen id in patris hærede
36 ſpeciale videtur, ut quamvis adſint avus, vel mater, alii-
que aſcendentes, ad iſtud onus teneatur, ſed ſubſidiariè qua-
tenus legitima, vel portio ipſius filiæ non ſufficiat, atque in
hoc differt hæres patris defuncti ab ipſo patre vivente, qui
etiam ceſſante ſubſidio filiam divitem dotare tenetur, ut ſu-
pra, *eod. diſc.* 142.

Patre verò, vel ejus hærede idoneo non exiſtente, ſuccedit
37 obligatio avi paterni, & ſic ſucceſſivè proavi, vel abavi,
aliorumque aſcendentium ex eodem latere; in iſtorum autem
defectum ſuccedit obligatio matris, ac ſucceſſivè avi mater-
38 ni, aliorumque eiuſdem lateris aſcendentium juxta graduum
ordinem, cum eadem transfuſione, ſeu tranſmiſſione one-
ris ad hæredes, alioſque ſucceſſores, *dicto diſc.* 142.

Unde propterea ex magis recepta ſententia, prius detra-
henda eſt ſubſidiaria dos ex fideicommiſſo aſcendentis quam-
vis ulterioris paterni lateris, quàm intret obligatio matris li-
39 cèt viventis, vel aliorum ejuſdem materni lateris aſcenden-
tium, *diſc.* 145. *eod. tit.*

Iſte dotandi ordo, utpote deductus ex antiquo jure Dige-
ſtorum, quando matris aliorumque aſcendentium ejuſdem
lateris nullum erat ſucceſſionis commodum, hodie poſt jus
noviſſimum, per quod matris, ac aliorum aſcendentium
40 ejuſdem lateris in ſucceſſione æqualis effecta eſt conditio
cum illa patris, & aliorum aſcendentium paterni lateris,
procedere non deberet, cum ita ceſſet ejus ratio, potiuſque
urgeat contraria deducta ex regula, *ſecundum naturam &c.*
ut æqualis debeat eſſe proportio commodi & incommodi;
& ex qua ratione aliqui ſcribentes judicioſè æqualem con-
curſum ad hujuſmodi onus dixerunt illorum matris, ac
fratrum utrinque conjunctorum; attamen quia noſtris
majoribus cum dicto juris antiqui ordine occaſione ali-
mentorum præſcripto, magis communiter procedere vi-
ſum eſt, idque forus recepit, quaſi quod iſtud onus ab ordi-
ne ſanguinis magis quàm ſucceſſionis regulandum veniat,
hinc proinde, juxta legalis facultatis in hac parte infœlicem
conditionem, ratio cedere debet receptis traditionibus, ma-
tri hæreticæ, vel judææ tantùm prima dotandi cauſa, etiam
ante patrem, & aſcendentes ejuſdem lateris attributa, *eod.
diſc.* 142.

41 Poſt aſcendentes ſuccedit obligatio germanorum fratrum,
qui ex utroque latere conjuncti ſint, in quorum defectum
ſuccedit illa fratrum conſanguineorum, quos receptum eſt
ad id teneri, cadente ſolùm dubitatione in uterinis, in qui-
bus tamen probabilius idem onus dandum eſt, ac etiam in ſo-
roribus, nedum quia ex æquiori, & magis fortè recepta ſen-
tentia idem onus, quando neceſſitas exigat, extenſum eſt
ad patruos, & avunculos, ac amitas & materteras pro facti
qualitate, ideoque ſi ad gradu remotiores, multò magis ad
proximiores; ſed etiam ob dictam rationem exæquatæ ſuc-
ceſſionis, *eod. diſc.* 142.

Quamvis autem nullibi in jure ſtatuta videatur obligatio
filii dotandi matrem viduam ad alias nuptias tranſire vo-
42 lentem, quinimò ius civile id potius abhorrere videatur,
attamen ex ratione, vel intentione juris Canonici, quoties
aliàs conſultum eſſe non poſſit, atque tranſitus matris ad
ulteriores nuptias aliquod probabile fundamentum habeat,
iudicis officium pro filii quoque obligatione intrare videtur;
eod. diſc. 142.

Omnium autem prædictorum, (excepto patre legitimo,
43 & naturali,) obligatio eſt ſubſidiaria, quatenus dotanda non
ſit aliunde proviſa, cadente ſolùm quæſtione in avo, cui ne-
ptis patre prædefuncto ſit immediata, unde propterea ſibi
competat ius obtinendi legitimam, cuius ratione aliquorum
ſententia eſt avum immediatum in hac parte patri exæquari,
ut purè, & ſimpliciter neptem quamvis divitem ac aliundè
proviſam dotare teneatur, cuius tamen contrarium proba-
bilius videtur, quoniam etiam in ipſo patre, ut ſupra adver-
titur, id modicum rationis fomentum habeat, ideoque ir-
rationabilis legalis rigoris extenſio non de facili admittenda
eſt; nam etiam in matre, vel avo materno qui ſit immedia-
tus, cadit eadem ratio legitimæ, & tamen abſolutum eſt obli-
gationem eſſe ſubſidiariam, cum non detur legitima viven-
tis, *eodem diſc.* 142.

Poſt iſtos, in aliis quamvis ſanguine coniunctis, mul-
44 toque minùs extraneis quoad hanc obligationem ex ſola
juris diſpoſitione manantem, alia non reperitur obligatio,
niſi illa defloratoris, vel raptoris, quam ſupra inſinuatum eſt,
eſſe potius primam etiam ante patrem, ita ex paſſa iniuria
relevandum; idemque ex eadem ratione, ſeu ex altera dam-
norum, & intereſſe in occiſore patris, vel alterius coniun-
cti, qui ſi viveret, dotare deberet, quamvis in patre tantùm
ſcribentes exemplificare ſoleant, ſed eadem urgere videtur
ratio, *eod. diſc.* 142.

Remotior autem agnatus, vel etiam dominus, cui feu-
dum aperiatur, ex quadam æquitate obligatus videtur ad 45
dotandam illam fœminam, quæ aliàs, niſi ſexus obſtaret,
in feudo, vel reſpectivè in aliis bonis eſſet ſucceſſura; atque
aliqui etiam tutorem pupillæ aliàs non proviſæ obligant,
quod tamen nullum habere videtur probabile fundamen-
tum, *eod. diſc.* 142.

Sub patris autem nomine, quamvis regulariter explicetur
legitimus, & naturalis, quandoque tamen pro facti quali- 46
tate venit etiam adoptivus, ſeu arrogator, ubi ſcilicet arro-
gatio eſt talis qualitatis, quod verè ac in omnibus arrogatus
fiat arrogantis ſuus, adeout loco legitimi, & naturalis quam-
vis viventis ſuccedat, *eod diſc.* 142.

Collocant aliqui inter dotare obligatos, vaſallos iuxta mo-
res regionum adiutorium Domino filiam dotanti præſtare 47
debentes, ſed malè, quoniam iſtud non dicitur onus do-
tandi quod eis incumbat, ſed potius quod idem onus in-
cumbens patri, iuſtam illi præbeat cauſam collectandi vaſ-
ſallos ad huiuſmodi ſubventionem, quam aliàs petere non
poſſet tanquam per ſpeciem collectæ; prout malè ſituant
ſocium dotare obligatum filiam ſocii univerſalis; id enim
potiùs reſultat à natura, ſeu qualitate ſocietatis univerſalis
quoad omnia onera, & expenſas, non autem ex peculiari
iure dotis.

In prædictis autem omnibus ex iuris diſpoſitione dotare 48
obligatis cadit quæſtio, an huiuſmodi obligatio ſit iure actio-
nis, vel potius iudicis officio, atque magis communiter re-
ceptum eſt, illam dici officio iudicis, prætetquam in ſtupra-
tore, vel raptore, quorum reſpectu debita videtur condictio-
ne ex lege, vel ubi dos debita ſit condictione ex Statuto,
eod. diſc. 142.

*De concurſu dotandarum, ac ordine inter
eas tenendo.*

RAtò forus audit huiuſmodi quæſtiones, in quarum con-
tingentia, octo caſus diſtinguendi veniunt, primus 49
ſcilicet in patre vivente, qui plures filias habeat; ſecundus
in eiuſdem patris defuncti hæreditate, tertius in fideicom-
miſſo maiorum, quartus ut ſupra ex ratione ſanguinis, vel
charitatis ex legis diſpoſitione dotare obligantis, quintus in
dote debita ex diſpoſitione hominis uni ex pluribus certis, ac
determinatis perſonis, puta quia relicta ſit dos uni ex filiabus
Titii; ſextus in dote ex hominis pariter diſpoſitione debita
pluribus incertis de certis, ſeu de certo genere, ut ſunt mon-
tes familiarum, vel conſimiles diſpoſitiones, dotalia ſubſi-
dia decernentes puellis de familia, vel parentela, ſeptimus
eſt in dote pariter ex diſpoſitione hominis debita incertis de
incertis, ut ſunt ea dotalia ſubſidia, quæ ex piorum loco-
rum inſtituto, ſeu aliàs ex piis diſpoſitionibus præſtari de-
bent pauperibus puellis Civitatis, vel parochiæ, &c. Et octa-
vus in dote debita per ſtupratorem, vel raptorem, quia nem-
pè plures ſtupratæ, vel raptæ concurrant.

In primis quatuor caſibus certa, & determinata regula
tradi non poſſe videtur, ſed deciſio pendet à iudicis arbitrio,
pro facti qualitate, & circumſtantiis regulando; licèt 50
enim in huiuſmodi concurſu regulariter intrare quoque vi-
deatur regula, ut qui prior eſt in tempore, potior ſit in iure;
vel eiuſdem regulæ ratio, unde propterea fundata videatur,
intentio maioris natu, non per hoc tamen refrœnatum vi-
detur patris, vel alterius dotare obligati, ſeu etiam iudicis
arbitrium, ut hunc ordinem intervertere valeat.

Circa quintum caſum unicæ dotis, quæ ex hominis diſpo-
ſitione danda ſit uni ex pluribus alicuius determinatæ perſo- 51
næ filiabus, quæ primò collocanda eſt, duæ cadunt inſpe-
ctiones, una ſcilicet caducationis legati, quatenus contin-
geret quod filia natu maior ante conditionis purificationem
decederet, & altera, an inter ipſas filias pro talis legati aſſe-
quutione attendi debeat ordo ætatis, vel ordo maritationis,
ſeu collocationis; & quoad primam, quamvis non deſint
contradicentes, verius magiſque receptum eſt legatum non
caducari, cum potiùs ſpectari videatur effectus à diſponente
conſideratus relevandi patrem ab eo onere dotationis unius
ex filiabus, quàm quod certa earum perſona determinata ſit,
niſi facti qualitas aliter ſuadeat.

In ſecunda verò, regula prioritatis aſſiſtere videtur ma- 52

jori natu, adhuc tamen pro facti qualitate limitanda eo-
dem modo quo in præcedentibus aliis quatuor caſibus di-
ctum eſt, ut attendatur prioritas maritationis ſupra illam
ætatis.

53 In ſexto caſu dotis debitæ pluribus incertis de certo ge-
nere juxta inſinuatum exemplum ſubſidii dotalis, quod per
montes familiarum, vel ex alia diſpoſitione puellis de fami-
lia, vel parentela præſtandum ſit, ſi adſunt leges fundatio-
nis, iſtæ ante omnia ſervari debent; eis verò deficientibus,
non videtur certam ac determinatam regulam ſtatui poſſe,
ſed totum remittendum judicis prudenti arbitrio ex facti cir-
cumſtantiis regulando, attendendo ſcilicet, vel majorem
periculi imminentiam, ſive majorem ſanguinis proximita-
tem cum ſimilibus; idemque in ſeptimo caſu ſubſidiorum
præſtandorum incertis, de incertis, circa quæ principaliter
habendus erit reſpectus, quando ille urgeat conjunctionis
ſanguinis fundatoris, ut conjunctæ præferri debeant extra-
54 neis; quinimò Princeps, vel alter ſupremus magiſtratus
puellis fundatori conjunctis decernere ſolet aliqua majora
ſubſidia quàm extraneis ex veriſimili intentione diſponentis,
dictaque ſubſidia conjunctis præſtanda ſubjacere non ſolent
illis vinculis, & oneribus, quibus ſubjacent ea quæ dantur
extraneis.

Et demum in octavo, cum pro hujuſmodi dotibus non
55 competat hypotheca, ſed omnibus æqualiter competat jus
implorandi judicis officium iuxta unam opinionem, vel iu-
xta alteram actio perſonalis tantum, hinc proinde non in-
trat prioritas temporis, ſed æqualis eſſe debet concurſus,
niſi pariter facti circumſtantiæ aliter ſuadeant, ratione ſcili-
cet maioris periculi, vel indigentiæ, ſive potiſſimum ratione
maioris, aut minoris culpæ, ac reſpectivè commiſerationis
concurrentis magis in una quàm in altera ex ſtupratis, ea-
rumque parentibus, vel coniunctis, *de his omnibus reſpecti-
ve, dicto diſc.* 142. *& diſc.* 6. *cum ſeqq. eodem tit.*

*De dote conſtituenda ex diſpoſitione hominis, an ſit etiam ſub-
ſidiaria, & an implicitè contineat conditionem matrimo-
nii futuri, vel convenire poſſit etiam nuptis; & an diſpoſi-
ta pro matrimonio carnali, conveniant ſpirituali, vel è
contra; & quatenus alias contineat conditiones, an &
quando illarum implementum ſit neceſſarium.*

UBi verò agatur de dote conſtituenda ex diſpoſitione ho-
minis, puta ex legato, vel alia præſertim ultima vo-
56 luntate, ſeu etiam actu inter vivos, plures cadunt quæſtio-
nes ſuper huiuſmodi dotis aſſequutione; primò ſcilicet, an
obtineri valeat per puellam aliunde proviſam, vel potius con-
currere debeat eadem ſubſidii qualitas, quæ, excepto patre,
neceſſaria eſt in dote debita ex diſpoſitione legis; ſecundò an
implicitam habeat conditionem unius, vel alterius matri-
monii de futuro; tertiò an ſufficiat matrimonium de præte-
rito, itaut conveniat etiam nuptis; quartò an conveniat
utrique matrimonio carnali & ſpirituali, vel potius uni tan-
tùm, & non alteri; & quintò quatenus aliàs contineat con-
ditiones, an & quæ adimpleri debeant, vel reſpectivè reii-
ciantur, ſe vitient, vel vitientur.

Quatenus pertinet ad primam, tres diſpoſitionis ſpecies
diſtinguendæ ſunt; prima eſt facta ad favorem certæ, ac de-
terminatæ perſonæ proprio ac appellativo nomine, ſive et-
57 iam incertæ, ſed intuitu alterius perſonæ certæ, puta ſin-
gulis, vel pluribus filiabus Titii, vel Sempronii, adeout lega-
tum, vel altera diſpoſitio proveniat ex motivo meriti, vel af-
fectionis perſonalis; & tunc eo modo quo habemus etiam in
alimentis debitis iure actionis ita diſtinctis ab iis quæ deben-
tur ex diſpoſitione legis ac officio iudicis, neceſſaria non eſt
ſubſidii qualitas, ſed debetur etiam diviti & aliundè provi-
ſæ; niſi diſponenti expreſſa, vel etiam coniecturata volun-
tas in contrarium urgeat.

Altera eſt ſpecies diſpoſitionis ad favorem eorum, qui-
58 bus de iure dos debita ſit loco legitimæ, ſeu in præmium ex-
cluſionis à ſucceſſione per Statutum demandata, & tunc
pariter tanquam debita iure actionis vel condictione ex
lege, dictam ſubſidii qualitatem non exigit, ſed etiam di-
vitibus ac proviſis debetur; *de his hoc eodem tit. in ſupple-
mento.*

Tertia eſt diſpoſitio, quæ fiat per ordinatorem fideicom-
miſſi, à quo vel ſimpliciter, vel extantibus maſculis exclu-
59 dantur fœminæ, quas diſponatur dotari debere, an ſcilicet
huiuſmodi diſpoſitio aliquid addat diſpoſitioni legis, adeout
adimat ſubſidii neceſſitatem, vel potius tanquam famulati-
va diſpoſitionis legalis, ad eius limites cum dicta qualitate
intelligi debeat; & tunc ſi agitur de diſpoſitione aſcendentis
ad favorem fœminarum in genere ſine merito, vel affectione
perſonali, quamvis non deſint tenentes primam partem, ve-
rior tamen ac recepta eſt altera, ut intelligenda veniat in ſub-
ſidium iuxta diſpoſitionem iuris, maiori dubietate remanen-
te, ubi agatur de diſpoſitione tranſverſalis, vel extranei, in
qua tamen verius videtur idem quoque dicendum eſſe; *diſc.*
37. *&* 145. *hoc tit.*

Quarta eſt ſpecies diſpoſitionis, quæ ex liberalitate ali-
cuius, vel ex plurium correſpectiva, & onероſa conventio- 60
ne fiat ſuper dote, vel dotali ſubſidio puellarum de certo gene-
re, puta de familia, vel parentela, &c. ut ſunt montes fami-
liarum, qui deſuper erecti habentur, ſeu aliæ diſpoſitiones
ad inſtar. Et tunc dicta ſubſidii qualitas, neque neceſſaria vi-
detur, cum ſit etiam ſpecies dotis debitæ iure actionis, niſi
lex fundationis, vel conſuetudo aliàs ſuadeat.

Quinta demum eſt ſpecies diſpoſitionis genericæ pro
puellis incertis de incertis etiam extraneis abſque aliquo
perſonali, vel certi generis merito, ſeu affectione, ut ſunt ea 61
ſubſidia dotalia, quæ præſtantur per pia loca, vel per pias
diſpoſitiones puellis de Civitate, vel parochia, &c. & tunc
receptum eſt ſubſidii qualitatem neceſſariam eſſe, quoniam
huiuſmodi diſpoſitiones intelliguntur de puellis pauperibus
ac aliunde non proviſis ex motivo pietatis, ut ita earum ho-
neſtati conſulatur, *diſc.* 7. *& ſeqq. hoc tit.*

Cadente quæſtione, an ubi ex lege, vel conſuetudine cer-
ta ſummataxata ſit, quamvis puella de proprio poſſideat,
ad ſubſidium admitti non debeat, cui ſcilicet incumbat onus
probationis dicti exceſſus, vel non exceſſus; atque diſtin- 62
guendum venit inter dotem conſtitutam, vel conſtituen-
dam, ut hoc ſecundo caſu onus probationis ſit puellæ dotis
conſtitutionem petentis tanquam pro qualitate, in qua con-
ſiſtit ſuæ intentionis fundamentum, in altero autem ſit illius
qui dotem iam conſtitutam impugnare, vel denegare velit,
d. diſc. 7. *& ſeq. hoc tit.*

Pluribus etiam quæſtionibus cadentibus ſuper huiuſmo-
di ſubſidiis, illa præſertim an cautio de reſtituendo, ſeu alia 63
qualitas, quæ ex pii loci inſtituto, vel diſponentis lege ge-
neraliter neceſſaria eſt in puellis, quibus iuxta generalem di-
ſtributionem detur ſubſidium, requiratur in illis, quæ ad
idem ſubſidium admitti debent, ad alicuius certæ perſonæ
nominationem, ſeu ex alio iure ſpeciali; & regulariter ve-
rior videtur negativa, niſi facti circumſtantiæ aliter ſua-
deant, *diſc* 10 *eod. titul.*

Quo verò ad ſecundam ſupra inſinuatam principalem
quæſtionem, an ſcilicet huiuſmodi dos debita, ſeu conſti-
tuenda ex diſpoſitione hominis, implicitam habeat conditio-
nem futuri matrimonii carnalis, vel ſpiritualis, aut agitur de 64
diſpoſitione illius, in cuius bonis puellæ debita ſit legitima,
cuius loco talis dos iure legati, vel alterius diſpoſitionis re-
licta ſuccedat; & tunc, aut expreſſam continet conditionem
futuri matrimonii, adeout voluntas ſit clara, reſtringatur
autem quæſtio ad poteſtatem ob legitimæ favorem, ſeu privi-
legium, per quod omnis conditio, vel dilatio aliudque onus
reiicitur, & quatenus relicta quantitas non excedat legiti-
mam, extra controverſiam eſt, dotem purè deberi, dictam-
que conditionem reiici.

Ubi verò dos legitimam excedit, tunc intrat quæſtio, an
onus, ſeu conditio ſuſtineatur in exceſſu tantum, vel potiùs
in totum, cuius quæſtionis deciſio pendere videtur à facti 65
qualitate ac circumſtantiis, tanquam in quæſtione volunta-
tis, an ſcilicet ille exceſſus ex diſponentis intentione relictis
fuerit in recompenſam oneris, ſeu conditionis, itaut aliàs re-
linquendi voluntas deſit, necne; tali enim voluntate acce-
dente, non poteſt fœmina, in cuius favorem ita diſpoſitum
eſt, voluntatem dividere, ſed vel eam ita qualificatam in to-
tum acceptare debet, vel eam impugnando, obtinere legi-
timam liberam ex diſpoſitione legis, quod in eius arbitrio ac
electione repoſitum eſt, *diſc.* 13. *&* 14. *hoc tit. & in ſupple-
mento, ac etiam ſub tit. de matrimonio.*

Si verò talis diſpoſitio patris vel alterius ad legitimam
obligati, & cuius loco dos ſuccedat, nullam contineat con-
ditionem expreſſam, & tunc nulla ſubintelligitur tacita, 66
quamvis dicatur relinqui pro dote, quæ ita demonſtrativè
ſtare videtur tanquam ille finis, cui à communiter contin-
gentibus fœminarum peculium deſtinatum eſt, quamvis
diſpoſitio legitimæ quantitatem excedat, quaſi quod diſpo-
nentis voluntas cenſenda ſit iuris diſpoſitioni accommoda-
ta, eaque ſit uniformis ac individua, ex ſola tamen iuris
præſumptione contraria probatione, vel fortioribus præſum-
ptionibus elidibili.

Idque ubi agitur de diſpoſitione patris, vel alterius ad legiti-
mam obligati, per ultimam voluntatem, ſeu aliàs effectum ſor-
titura poſt mortem, adeout verificetur dicta ſubrogatio loco

legitimæ; ſecus autem ubi agatur de conſtitutione, vel pro-
miſſione dotis inter vivos, quando non intret dicta ſubroga-
67 tio loco legitimæ, quæ non datur viventi, tunc enim matri-
monium dicitur cauſa finalis ac præciſa, adeout ſine illius
implemento nulla ſit exercibilis actio, ideoque receptum eſt,
quod ad effectum exequendi inſtrumentum, vel aliam obli-
gationem dotis conſtitutæ pro certo matrimonio, de iſtius
implemento docendum ſit.
Sed ſi agatur de diſpoſitione extranei, ad nullam legiti-
68 mam obligati, cujus loco habetur etiam quandoque parens,
ubi ſcilicet propter Statutum ſimpliciter fœminarum exclu-
ſivum ipſæ habentur tanquam extraneæ, adeout dos non ſuc-
cedat loco legitimæ, & tunc diſpoſitio de dote præſtanda im-
plicitam continet conditionem matrimonii carnalis, vel
ſpiritualis, à quo dos nomen ac eſſentiam recipit, adeout,
ut ſupra advertitur, neque conveniat illis puellis, quæ cæ-
libem vitam eligant, ac virginitatem ſub aliquo quamvis pio,
& laudabili inſtituto ſervare velint, ſine tamen valida, &
69 ſolemni profeſſione, ex qua ſpirituale matrimonium reſul-
tat, remanente ſolùm iſto caſu jure petendi ſubventionem
pro alimentis, vel ex obligatione alendi reſultante à legis diſ-
poſitione, vel ex veriſimili diſponentis voluntate, ita per
legem ſuppleta, vel ſubintellecta, *ibid. proximè ſuprà*.
Iſta regula ſuper matrimonii conditione ſubintelligenda
utpote ſoli juris præſumptioni innixa, fallit ubi nedum ex-
70 preſsè conſtat de diverſa voluntate, quod ſcilicet dotis no-
men, ſeu vocabulum ita demonſtrativè adjectum ſit potius
executioni quàm ſubſtantiæ diſpoſitionis, ſed etiam ubi con-
jecturaliter, adeout nulla deſuper cadat quæſtio juris, ſed
tota ſit facti ac voluntatis; an ſcilicet verbum *dotis*, ſubſtan-
tiæ, vel executioni diſpoſitionis adjectum ſit, ſuper quo ſcri-
bentes plures tradunt diſtinctiones deductas ex formalitate
verborum, ſeu ab unicitate, vel pluralitate orationis, aut
ſi diſponens mandet interim ſuppeditari alimenta, ſeu an-
nuum redditum cum ſimilibus, ſuper quibus juxta conſue-
tum Legiſtarum vitium, unus alium tranſcribendo, nimium
ſe involvere videntur; veritas tamen eſſe videtur, ut hujuſ-
modi quæſtio utpote facti ac voluntatis potius quàm juris,
certam ac determinatam regulam generalem non recipiat,
ſed juxta generalem naturam quæſtionum voluntatis deciſio
pendeat ex ſingulorum caſuum particularibus ac individuis
circumſtantiis, ex quibus veriſimilem voluntatem deſume-
re erunt partes prudentis judicis.
Effectus hujus inſpectionis ſunt plures, ille præſertim ca-
71 ducationis, vel reſpectivè tranſmiſſionis conditione non im-
pleta, ſive exercitii actionis ante conditionis implementum,
vel fructuum medii temporis cum ſimilibus.
Tertia eſt principalis quæſtio cadens in hujuſmodi dote
debita in diſpoſitione hominis, in qua præſupponenda ſit
dicta implicita conditio matrimonii, an ſcilicet intelligatur
tantum de matrimonio futuro, vel ſufficiat præteritum,
72 adeout nuptis quoque conveniat, ſeu per ſubſequutum ma-
trimonium vivente teſtatore, & ſic poſt diſpoſitionem, ſed
ante illius perfectionem ipſa diſpoſitio ceſſet; id autem apud
ſcribentes involutum videtur ob confuſionem plurium ca-
ſuum inter ſe diverſorum, cum quorum diſtinctione planum
fortè remanet.
Quare plures caſus diſtinguendo, primus eſt in diſpoſitio-
73 ne facta per patrem ad favorem filiæ pro ejus dote, ipſa verò
filia nubat etiam cum dote ex bonis propriis, ſeu aliunde ob-
tenta, & tunc talis diſpoſitio ei quoque convenit, neque
per matrimonium ceſſat, quoniam pater, ut ſupra adverti-
tur, filiam etiam divitem ac nuptam dotare tenetur, atque
non implicat, ut ea duplicem dotem habeat, unam pro-
priam, alteram, quam à patre obtinere debet, loco legiti-
mæ, vel ſucceſſionis, ideoque diſpoſitio facta cenſetur in com-
penſationem, ſeu executionem debiti paterni, ac pro illius
taxatione; iſtaque eſt vera ratio, non autem altera imple-
menti conditionis, quam aliqui aſſignant.
Alter caſus eſt ejuſdem paternæ diſpoſitionis ad favorem
filiæ, quæ deinde ab ipſo patre vivente maritata, & dotata
fuerit, & tunc receptum eſt diſpoſitionem ceſſare ob ceſſa-
74 tionem illius cauſæ, quæ in paterna diſpoſitione ineſſe cen-
ſetur, quamvis non exprimatur, atque in hoc pater dotare
obligatus ab aliis differre videtur, quoniam cum agatur de
debito legali quod neceſſarium dicitur, non autem volun-
tarium, præſumptio eſt, quod legatum vel altera diſpoſitio
facta cenſeatur animò compenſandi.
Difficultate remanente, quando dos poſtmodum conſti-
75 tuta eſſet minor, an ſcilicet reſiduum petatur jure legati, vel
alterius diſpoſitionis, iſtaque famigerata eſt quæſtio, in qua
ſcribentes nimium ſcinduntur, aliquibus affirmantibus, aliis
verò utramque opinionem conciliare conantibus, cum di-
ſtinctione deducta ex formalitate verborum, quaſi quod ſi
legatum fiat pro dote, una opinio tenenda ſit, ſecùs autem
ſi pro maritanda, &c. Quamvis autem opinio affirmativa
majorem authoritatum calculum habere videatur, adhuc ta-
men, attento communi uſu ac ratione, probabilior videtur
negativa; ſæpiùs enim parentes ita diſponendo per ultimam
voluntatem, utpote cogitantes filiarum maritationem, ac
dotationem poſt eorum mortem, pinguis provident, ut
ita magis tuti reddantur de nuptiis dignis, quæ ipſis viventi-
bus faciliùs obtinentur cum minori dote ob ipſius parentis
qualitates, quæ frequenter pars dotis eſſe ſolent, atque vi-
ros dignos cum minori dote ad matrimonium alliciunt.
Sive rejecta in omnibus caſibus pro meo ſenſu damnabili
deciſione reſultante à formalitate verborum, quæ frequen-
tiùs Notarii eſſe ſolent, abſque eo quod teſtatores ad unam,
vel alteram formulam advertant, rejectaque pariter opinio-
ne volentium deſuper concurrere defectum poteſtatis, quod
ſcilicet non poſſit pater dotem ita diſponendo taxatam mi-
nuere, cum id verè nullam probabilitatem habere videatur,
tanquam quæſtio voluntatis decidenda venit cum ea regula,
cum qua generaliter quæſtiones facti ac voluntatis deciden-
dæ ſunt, ex facti ſcilicet qualitate ac ſingulorum caſuum par-
ticularibus circumſtantiis, ex quibus deſumenda veniat ve-
riſimilis teſtatoris voluntas.
Tertius caſus eſt in eo qui puellam nuptam, vel aliunde 76
proviſam dotare non tenetur, itaut ejus obligatio ſit ſolùm
ſubſidiaria, clariùs verò in eo qui nullam dotandi obliga-
tionem habeat, atque agatur de diſpoſitione generica pro
incertis, ut frequenter eſſe ſolent ea pia legata, vel aliæ diſ-
poſitiones, quæ fiunt pro dotali ſubſidio puellarum Civita-
tis, vel parochiæ; &c. & tunc cum, ut ſupra advertitur, hu-
juſmodi diſpoſitiones non conveniant niſi pauperibus aliun-
de non proviſis, utique puellæ jam nuptæ, & dotatæ ad eas
aſpirare non poſſunt; ſi verò ſunt nuptæ, ſed non dotatæ,
neque talem virum habeant, qui eas licèt indotatas provide-
re teneatur, vel poſſit, tunc in puncto juris, ſive in ſenſu DD.
etiam nuptæ hujuſmodi diſpoſitionum, vel ſubſidiorum ca-
paces eſſe videntur, quaſi quod eadem urgeat ratio pietatis;
verùm communis uſus aliter docet, quod ſcilicet ad hujuſ-
modi ſubſidia quæ in magno numero in Urbe aliiſque
præſertim magnis Civitatibus ex piis diſpoſitionibus ſin-
gulis annis diſtribuuntur, non admittuntur jam nuptæ
quamvis indigentes, quibus eadem ratio pietatis rectè
congruat, niſi quando ante tempus diſtributionis, nu-
ptiæ de licentia eorum ad quos diſtributio pertinet, ſe-
querentur.
Aut verò agitur de diſpoſitione pariter generica ad favo- 77
rem incertarum de certis, in quibus aliqua particularis ratio
urgeat, ut exemplificando à frequentiùs contingentibus,
ſunt illa dotalia ſubſidia quæ per montes familiarum per con-
ſimiles diſpoſitiones deſtinata ſunt omnibus puellis de fami-
lia, vel parentela, & tunc ſecus dicendum videtur, ut eis
etiam conveniat, niſi lex fundationis obſtet, quaſi quod hu-
juſmodi puellæ ab inſtanti earum nativitatis quoddam jus
cum ſola conditione futuri matrimonii acquiſiſſe videantur,
dilata ſolùm executione poſt implementum conditionis; po-
tiſſimè verò quia frequenter contingit, quod ob majorem
numerum puellarum, quàm aſſignati redditus ferant, ſer-
vando inter eas ſuprà inſinuatum ordinem majoris ætatis, vel
majoris proximitatis, aliquibus convenit diu expectare, ut
aperiatur locus diſtributionis, vel ſubſidii ad earum favorem,
ideoque cogendæ non ſunt interim viduitatem pati, ac pro-
pterea uſus docet, quod hoc jus, vel ſpes pro tempore quo
maturabit, ab initio in dotem, vel ejus partem conſtitui-
tur.
Aut agitur de legato, vel altera diſpoſitione dotis ad favo- 78
rem certæ ac determinatæ perſonæ proprio, & appellativo
nomine, ſeu etiam incertæ ac nomine collectivo, ſed in-
tuitu alterius perſonæ certæ ac determinatæ, puta ad favo-
rem unius, vel plurium filiarum alicujus proprio ac appellati-
vo nomine deſignati, & tunc ſi mulier de tempore teſtamen-
ti erat nupta, & congruè dotata, idque teſtatori, ſeu diſpo-
nenti cognitum erat, receptum videtur diſpoſitionem ei non
convenire, niſi quatenus contingat ulteriores nuptias de fu-
turo contrahi debere, quibus, non autem jam contractis
diſpoſitio convenit; ſecus autem ſi ſit nupta, ſed non con-
gruè dotata, cum tunc non incongruat dotem etiam poſt
contractum matrimonium conſtitui, vel ſuppleri; nulli au-
tem vel nimium rari ſunt caſus hujuſmodi quæſtionis, quæ
utpote facti, & voluntatis magis quàm juris, pro facti qua-
litate magis decidenda eſt.

Si ve-

79 Si verò de tempore teſtamenti vel etiam poſtea, ipſo ta-
men teſtatore vivente, ſed ignorante, nuptiæ contractæ
ſint, adeout de tempore quo diſpoſitio perfectionem recipit,
puella jam nupta ſit, tunc plures deſuper habentur opinio-
nes, una eſt affirmativa triplici rationi innixa, vel ſcilicet,
quod pro diſpoſitione conſequenda ſufficiat conditionem
quandocumque impleri; vel quia ubi certus effectus attendi-
tur, curandum non eſt, an ille præcedat vel ſequatur; vel
demum quia matrimonium non eſt cauſa extinctiva, ſed po-
tius productiva dotis, ideoque ceſſet contraria ratio extin-
ctæ, ſeu ceſſantis cauſæ legandi; ea verò quæ habemus in ju-
re de tempore limitato, procedunt ubi illud adjectum eſt cau-
ſa limitandi, ſeu extinguendi obligationem, non autem cau-
ſa eam perficiendi, vel exequendi; alia etiam militante ratio-
ne per aliquos aſſignari ſolita, quod quamvis talis diſpoſitio
adhuc imperfecta, & revocabilis nullum tribuat formale jus,
ſed ſolam ſpem, adhuc tamen ob iſtam puella faciliùs ac di-
gniùs collocari poteſt.
Altera eſt opinio præcedenti de directo contraria, & ſim-
pliciter negativa ex ratione ceſſantis cauſæ legandi, ſeu ceſ-
ſantis finis ob quem diſpoſitio facta ſit, quodque dicta ratio,
ut matrimonium ſit potius cauſa productiva dotis quàm
extinctiva, congruat ſolùm patri, qui dotare tenetur filiam
quamvis nuptam & dotatam.
Tertia eſt opinio diſtinguens, an diſpoſitio concepta eſſet
in futuro, vel in ſubjunctivo, ut hoc ſecundo caſu conveniat
etiam nuptis, ſecùs autem primo.
Verius autem videtur iſtam quæſtionem, utpote facti, &
ambiguæ voluntatis, potius quàm juris, certam ac deter-
minatam non recipere deciſionem, ſed eam pendere ex fa-
cti qualitate ac circumſtantiis, veriſimilem diſponentis vo-
luntatem probantibus, ideoque formulas verborum, ſeu qua-
litatem perſonarum, tam diſponentium quàm eorum cum
quibus diſpoſitio fiat cum aliis ponderationibus, vel diſtin-
ctionibus deſuper ponderari ſolitis, attendi debere juxta ſin-
gulorum caſuum qualitatem, eo modo quo in materia fidei-
commiſſaria, ſeu generaliter aliarum ultimarum voluntatum
habemus circa præſumptiones, & conjecturas, quas fre-
quens praxis docet, in uno caſu admitti ac ſufficientes repu-
tari, in altero autem eaſdem immò majores rejici ac inſuffi-
cientes eſſe.
Sub hac eadem quæſtione altera cadit inſpectio, an ſci-
80 licet hujuſmodi diſpoſitiones implicitam habentes nuptia-
rum conditionem, conveniant etiam ſecundis, ſeu ulterio-
ribus nuptiis, vel tantum primis; & quamvis aliqui rigoro-
sè ad primas tantùm ſe reſtringant ex regula, quod diſpoſi-
tio conſumitur in prima vice, ſeu primo actu; alii verò
ſimpliciter teneant, quod omnibus conveniat; atque alii
diſtinguant, an primum matrimonium eſſet ſolum ratum,
& non conſumatum, cum aliis ponderationibus deſuper
haberi ſolitis; verius tamen videtur ut dicendum ſit idem,
quod ſupra inſinuatum eſt, iſtam ſcilicet utpote quæ-
ſtionem potiùs voluntatis ac facti quàm juris, ex facti
qualitate pro judicis prudenti beneque regulato arbitrio de-
cidendam eſſe; de his omnibus in ſupplemento, & hoc titu-
lo incidenter.
Quarta eſt ſupra inſinuata principalis quæſtio cadens in
81 hujuſmodi dotibus ex hominis diſpoſitione debitis, an ſci-
licet diſpoſitio conveniat utrique, vel potius uni & non al-
teri matrimonio, quia nempè relicta pro nuptiis carnalibus,
non conveniat ſpiritualibus, vel è contra, cum præſuppo-
ſito tamen, quod nulla urgeat in diſponente dotandi obliga-
tio, cum tunc incongruum ſit de illius voluntate quærere,
quando neceſſitas eum quamvis invitum impellat, ſed quod
agatur de diſpoſitione merè voluntaria, adeout tota ſit quæ-
ſtio voluntatis; & tunc, aut voluntas eſt clarè, & expreſ-
sè limitata ad unam matrimonii ſpeciem, & ſic eſt pro ſpi-
rituali, extra controverſiam remanet, carnali non conve-
nire, ubi verò è converſo ad carnale reſtricta eſt, aliqui cre-
dunt, ut favore vitæ religioſæ, ſeu matrimonii ſpiritualis ta-
lis reſtrictio pro ſcripta haberi debeat, ideoque pro ſpiritua-
li etiam matrimonio debeatur illa dos, quæ pro ſolo carnali
relicta eſt.
Quinimò, ut etiam in caſu diſcretivæ, quod ſcilicet diſ-
ponens de utroque matrimonio cogitando, pro carnali ma-
jorem, pro ſpirituali autem minorem dotem relinquat, ut
adhuc ex eadem ratione, ſpreto diſponentis judicio, major
ſumma debita ſit contrahenti illud matrimonium, cui mi-
nor aſſignaaa eſt.
Contrarium vero in caſu expreſſæ ac certæ voluntatis
omninò veriùs ac receptum eſt, quoties non donſtaret ex
irrationabili Religionis ac vitæ ſpiritualis odio ita diſpoſitum
eſſe, quamvis per diſponentem non aſſignaretur congrua ra-
tio, cur magis unum quàm alterum matrimonium deſide-
raverit, cum in dubio potius congrua ratio, ſeu honeſtus fi-
nis quàm dictum irrationabile odium præſumi debeat; idque
in caſu quo agatur de reſtrictione ad unam tantum matrimo-
nii ſpeciem; ubi verò de utroque, ſed diſcretivè ut ſupra diſ-
poſitum eſt, altera urget congrua ratio minoris dotis, quæ
pro uno magis, quàm pro altero de communi uſu requiri-
tur, atque tunc ex ſupplenda diſponentis voluntate rectè per
eligentem vitam ſpiritualem aliunde non proviſam ſupple-
mentum peti poterit.
Reſtringitur ergo quæſtio, ubi agatur de voluntate am-
bigua, ac non omninò certa & expreſſa, quia nempè ſimpli-
citer dictum ſit pro dote, ſive pro collatione puellæ, &c.
Et tunc licèt ſcribentes nimiùm variando inſiſtant in ver-
borum formalitatibus; & an diſpoſitio concepta ſit lingua
latina, vel materna, quæ reſpectivè ſimplicem, vel duplicem
habeat ſignificationem, cum aliis conſiderationibus deſuper
fieri ſolitis; attamen verius eſt iſtam pariter dici quæſtionem
potius facti, & voluntatis quàm juris, ideoque pariformi-
ter pro facti qualitate, ut ſupra dictum eſt, decidenda, con-
ſtituta regula generali in dubio attendenda, quoties contra-
ria non urgeant limitationem ſuadentia, ut diſpoſitio utri-
que matrimonio conveniat.
Pro diverſa autem voluntate regulanda, quoties agitur
de diſpoſitionibus generalibus pro incertis de incertis, ſa-
tis deferendum videtur quantitati ad hunc effectum de-
ſtinatæ, quæ uni & non alteri matrimonio congruat, quo-
ties ex lege pii loci diſtributionem facere debentis diverſa
ſit unius ac alterius ſubſidii ſumma, idque diſponenti inno-
teſcat.
Ubi verò agitur de diſpoſitione pro certis perſonis, ſeu
etiam pro incertis de certis, & cum quibus aliqua particula-
ris ratio ſanguinis, vel dilectionis aut decoris concurrat, &
tunc quoties aliqua non urgeat ratio, vel non urgeant con-
jecturæ ob quas magis unam quàm alteram matrimonii ſpe-
ciem diſponens deſideraverit, magis de plano dicta regula
intrat; ſi verò quantitas contrarium adminiculum præſtet,
quia nempè unius & non aliis nuptiis magis congrua ſit, ad-
huc tamen referendo potius diſpoſitionem ad illarum veriſi-
mile præſuppoſitum, quàm ad præciſam taxationem, refræ-
natum non videtur judicis arbitrium ex illa majori ſumma
quæ pro uno matrimonio deſtinata ſit applicari ſummam mi-
norem alteri congruam, quaſi quod in diſponentis intentio-
ne principaliter fuerit ipſius perſonæ proviſio in genere ma-
gis quàm unus vel alter modus, firmo tamen remanente di-
cto aſſumpto, ut deſuper certa, & determinata regula da-
ri non poſſit, ſed totum pendeat ex ſingularium, vel indivi-
duorum caſuum qualitate, & circumſtantiis, *de his diſcurſ.
12. hoc titul. & latius in ſupplemento*.
Quinta demum eſt principalis quæſtio cadens ſuper hujuſ-
modi dote debita, ſeu conſtituenda ex diſpoſitione hominis,
circa alias conditiones quæ ultra explicitam, vel implicitam
unius, vel alterius matrimonii adjiciantur.
Sub iſta quæſtione non cadit materia prohibitæ conditio- 82
nis inducentis viduitatem, quoniam eo ipſo quod datur diſ-
poſitio pro dote, implicitam continet ut ſupra conditionem
matrimonii carnalis, vel ſpiritualis, ſine quo dos non da-
tur, ac propterea ea quæ in jure habentur de prohibita con-
ditione viduitatis, extranea videntur ab hac materia dotali,
ſed potiùs aliis diſpoſitionibus conveniunt, *ſub tit. de fideic.
diſcurſ. 44. & ſub tit. de matrim.*
Et nihilominus, ut in ſua matrimoniali materia, ac 83
etiam alibi advertitur, ea quæ in jure civili ſuper dicta vidui-
tate prohibita habentur, ſcholaſticorum pabulum hodie re-
manent potius quàm occupatio forenſium, quoniam ra-
ri, ac fortè nulli ſint caſus, in quibus ad praxim reducatur
illa irrationabilis, vel odioſa prohibitio, quæ honeſto, vel
meliori fine denudata ad hunc effectum requiritur, dum adeſ-
ſe poteſt ille finis cælibatus qui apud catholicos honeſtus, &
commendabilis eſt, quamvis apud ethnicos juris civilis au-
thores inhoneſtus, ac damnabilis eſſet, atque in dubio præ-
ſumptio pro dicta honeſtate urget.
Et quamvis aliqui, etiam in hac diſpoſitione pro dote,
quæ matrimonii implicitam conditionem habet, ponderent
dari caſum viduitatis ob reſtrictionem ad unam ſpeciem ma-
trimonii ſpiritualis, per quam verè inducitur viduitas à jure
civili prohibita; attamen attenta diſpoſitione juris canonici,
in foro etiam laicali ubique apud catholicos recepta, hujuſ-
modi conſideratio omninò exulat.
Sive etiam eadem conſideratio cadat ratione temporis 84
certi, vel incerti in conditione poſiti, quod adeò in longum

pro-

protrahi poteſt, ut omnimodam viduitatem in legataria inducat, ut præſertim exemplificari ſolet, quando in conditione poſitum eſt tempus vitæ, ſeu mortis tertii, qui tamdiù vivere poteſt, ut legatariæ ſupervivendo, iſtam cogat ad patiendam viduitatem; attamen adhuc rarum eſt in foro ad praxim deduci ea quæ circa dictam viduitatem irrationabiliter prohibitam per jus civile diſpoſita ſunt, cum dicta conditio rationis fomentum habere poſſit, non gravandi ſcilicet perſonam magis dilectam ad dotandum perſonam minus dilectam pro tempore quo illa vivat, ſed dirigendi gravamen in ejus extraneum hæredem jure cujuſdam particularis ſubſtitutionis, dum hujuſmodi quæſtiones ſupponimus in diſponente ex liberalitate, qui dotandi legalem obligationem non habeat, quoniam qui nihil relinquere poteſt, non videtur prohibendus relinquere ſub aliqua conditione incerta, non invitativa tamen ad peccatum, vel turpitudinem, dum ut ſupra advertitur, etiam iſta ſpes alicujus eſt æſtimationis, atque puellæ aliundè dotandæ dignius matrimonium facilitat, cum ſimilibus caſibus, in quibus temporis conditio, vel dilatio alium honeſtum vel rationabilem finem habere valeat.

85 Quare, ut in dicta ſua matrimoniali materia, ac etiam alibi advertitur, à foro pœnè jam exulante diſpoſitione juris civilis circa hujuſmodi viduitatis prohibitionem, ejuſdem fori quæſtiones reſtringi videntur ad matrimonii libertatem conſervandam; ideoque difficultas cadere ſolet, ubi conditio importaret arctationem ad certam perſonam, vel ad certum locum, ſeu ad certum modum, adeout per hujuſmodi reſtrictionem matrimonii libertas reſtricta, vel ſublata remaneat, quia nempè diſponens mandet dotem puellæ præſtari, quatenus perſonæ ipſi diſponenti viſæ, ſeu in certo loco, aut cum alicujus conſenſu, & non aliàs nubat.

86 In hoc autem, ut advertitur in dicta ſua materia matrimoniali, (cui magis quàm huic dotali hæc inſpectio congruit;) aut agitur de illo, qui de jure dotandi obligationem habeat, adeout invitus vivens, vel mortuus in ejus hærede & bonis repræſentatus, ad id cogi valeat; aut verò de voluntariè atque ex liberalitate diſponente; primo caſu inanis eſt hæc inſpectio, dum abſque neceſſitate recurrendi ad magis odibile fundamentum, ut conditiones rejici, ſeu pro non ſcriptis haberi debeant, dotanda ipſius diſpoſitionis ſubſtantiam negligendo, ſuum jus vel actionem ex legis beneficio competentem exercere poteſt, perindè ac ſi talis diſpoſitio non adeſſet.

87 In altero autem caſu voluntariè diſponentis, quicquid ſcribentes varient, probabilius magiſque receptum videtur, ut procedendum ſit cum diſtinctione, an ſcilicet conditio adjecta ſit per viam pœnæ patiendæ in bonis propriis, vel etiam per viam privationis juris jam perfectè quæſiti, cum hæc privatio pœnæ ſpeciem redolere videatur, ita ut implementum ſit modale, ſeu pœnale; vel potiùs per viam conditionis invitativæ ad lucrum, quo non obtento, puellæ non præjudicetur in proprio patrimonio, neque ejus conditio deterior fieri dicatur, ut primo caſu conditio tanquam impeditiva libertatis matrimonii, turpis ac pro non ſcripta habenda ſit, ſeu requiratur doloſa contraventio non de facili convincibilis, ſecus autem in ſecundo, adinſtar illius diſtinctionis quam inter modalem, conditionalem diſpoſitionem generaliter habemus in materia ultimarum voluntatum.

Verùm etiam iſto ſecundo caſu cum eorum ſubtilitatibus nihil certum, vel pacificum ſcribentes in jure relin-
88 quendo, puellis quamvis contravenientibus, vel conditionem non adimplentibus, conſulere ſolent cum remedio reſtitutionis in integrum ratione minoris ætatis, vel imbecillitatis ſexus, ſeu alias ex clauſula generali, *ſi qua mihi*, ut particulariter in dicta ſua matrimoniali materia, cui, ut inſinuatum eſt, hæc inſpectio congruit, magis quàm huic dotali, in qua occaſionaliter, ſeu incidenter de hoc agi ſolet, ideoque ad ea recurrendum eſt.

89 Remanentibus in hoc propoſito (poſita etiam poteſtate validè adjiciendi hujuſmodi conditiones) aliis quæſtionibus voluntatis, præſertim circa tempus, vel ætatem ipſius puellæ nubendæ, an ſcilicet pro conſilio magis quàm pro juſſu, ſeu præcepto id adjectum ſit, ſive an adjectum ſit ſubſtantiæ diſpoſitionis, vel potius executionis, ſeu an potius in gratiam, quàm gravamen, ſuper quibus ac ſimilibus quamvis ſcribentes nimium ſe involvant circa applicationem theoricæ generalis, quæ cum dicta diſtinctione eſt certa; attamen, ut in eadem matrimoniali materia advertitur, iſto caſu dicendum venit idem, quod pluries ſupra, ut ſcilicet tanquam in quæſtione voluntatis ac facti potius quam juris, non de facili dari valeat certa generalis regula, ſeu deciſio, quæ particularis ac reſpectivè diverſa ſit pro facti particulari qualitate, ac ſingulorum caſuum individuis circumſtantiis, *ibidem, hoc eſt ſub tit. de matrim. & in ſupplemento hoc eod. tit.*

De dote conſtituenda ſeu extrahenda ex bonis fideicommiſſo ſubjectis. Ad materiam Auth. res quæ, C. commun. de legat.

QUamvis in bonis, quæ reſtitutioni, ſeu fideicommiſſo ſubjecta ſunt, lex alienationem prohibeat, magis ve- 90
rò ubi ipſius legis prohibitioni, illa quoque hominis accedat; attamen ubi puellarum honeſtati cum dotali ſubſidio aliàs conſultum non eſt cum bonis ipſarum, vel eorum quorum prior dotandi obligandi ſit quàm ordinatoris fideicommiſſi, lex providit ut dicta prohibitione non obſtante, ille qui fideicommiſſi poſſeſſor eſt, ad dotem conſtituendam cogi valeat, ſeu quod hujuſmodi actum neceſſarium voluntariè etiam explere poſſit, quoniam poſita neceſſitate, huic magis quàm voluntati, referendus veniat actus; licèt enim in ſtricta litera legis ita cautum ſit favore tantùm filiarum 91
primi gradus, ſeu aliarum deſcendentium, quæ primum locum, ſeu gradum occupent, adeout eis legitimæ detractio competat, undè propterea plures legis literæ inhærentes, ad hujuſmodi perſonas hoc jus reſtringant; attamen ex ma-
gis communi DD. ſenſu forus recepit, ut conveniat quibuſ- 92
cumque fideicommittentis deſcendentibus, ſive ſint paterni, ſive materni latentis in infinitum, cum ſolo ordine, qui per legem in dotationis onere ut ſupra præſcriptus habetur, ut ſcilicet prius aſcendentium lateris paterni obligatio eſſe 93
debeat, quàm ſi matris, aliorumque aſcendentium per hoc latus, dicto jure, ſeu beneficio denegato in fideicommiſſis, quæ per tranſverſales, multoque magis per extraneos ordinata ſint, *de his ac aliis ad totam hanc materiam Auth. res* 94
quæ, pertinentibus in infra, diſc. 37. cum plur. ſeqq. & diſc. 145. hoc eod. tit.

Prout quamvis antiquiores ſcribentes, quibus etiam mo- 95
derni ſcholaſtici adhærere ſolent, plures reſtrictiones etiam in deſcendentibus tradant, puta an tales deſcendentes de tempore ordinari fideicommiſſi natæ, vel conceptæ ſint, ſive an earum parens ex fideicommiſſaria hæreditate legitimam aliaſque detractiones habuerit, & conſumpſerit, &c. attamen à foro hæc exulare videntur, atque indiſtinctè receptum eſt, ut poſita deſcenſiva quantitate, juncta cum altera ſubſidii, adeout aliàs puellæ conſultum non ſit, indefi-
nitè recepta ſit regula pro competentia hujus beneficii: quod 96
non ſolùm legitimis, & naturalibus, ſed etiam naturalibus tantùm conceditur, ac non ſolùm ubi generica alienationis prohibitio legis, vel hominis accedat, ſed etiam ubi illa ſit individua, quod ſcilicet neque ex cauſa dotis alienatio, ſeù extractio fieri valeat, quoniam ob deficientem poteſtatem pri-
vatorum derogandi per ejus diſpoſitiones iis quæ per legem 97
demandata ſunt, tali prohibitione habita pro non ſcripta, idem beneficium competit, quod tamen in dote reſtituenda, non ita de facili in puncto juris recipiendum videtur, ut infra quando de dote reſtituenda agitur.

Quinimo etiamſi fideicommiſſi ordinator ſe conforman-
do juris diſpoſitioni, taleque onus agnoſcendo, providum 98
ac de iure potius commendabile adiiciat conſilium, ut ex fructibus magis quàm ex bonis in ſorte huiuſmodi dotatio fieri debeat (quod ubi commodè impleri poteſt, per legem quoquè præcipitur, quamvis ipſe diſponens non demandaret) attamen ubi id commodè ſequi non poteſt, cum ſubiecta materia non patiatur dilationem ob periculum honeſtatis, & quia puella in ætate nuptiis de more regionis congrua ad viduitatem patiendam cogenda non eſt, adhuc iſtud conſilium quamvis prudens, & aliàs commendabile ſperni poteſt, attributa ipſi diſponenti facultate gravandi fideicommiſſi poſſeſſorem ad reintegrandam extractam proprietatem cum illis futuris fructibus, qui aliàs, quando dilatio peteretur, pro tali dote cumulari debuiſſent, dummodo tamen deſuper particularis ac expreſſa accedat proviſio, qua ceſſante illam lex non ſupplet.

Sive ubi teſtator deſcendentium dotationi provideat cum 99
tali ſumma, quæ eo tempore ſpectato, congrua, & honeſta ſit, adhuc tamen ſi tractu temporis incongrua remaneat, eius iudicio neglecto, extrahi poteſt totum id, quod ad congruam conſtituendam neceſſarium eſt.

Quod adeo extenditur, ut etiam ſi ad dictam congruam 100
conſtituendam totum fideicommiſſum ſit neceſſarium, illud totum everti valeat, quod tamen recipiendum eſt quatenus aliis æqualis gradus cum ipſa fœmina ad fideicommiſſum vocatis non præiudicetur, non autem ut aliorum portiones abſorbeat, ſive quod ita obtineat plus quàm obtinere deberet ſi eſſet maſculus, ideoque tunc aliud prætendere non poteſt niſi virilem, attento tempore dotationis, adeout mors aliorum decedentium medio tempore inter fideicommiſſi aperturam, & caſum dotationis, ipſi quoque fœminæ dotandæ ſuffragetur.

101 Ampliatur etiam dicta regula, ut procedat nedum pro dote matrimonii carnalis, de quo lex loquitur, ſed etiam pro illa matrimonii ſpiritualis; quinimò nedum pro ea quantitate quæ ſub titulo dotis viro, vel reſpectivè Monaſterio danda eſt, ſed etiam pro aliis appenditiis ac expenſis, quæ de more regionis, ſeu alias ex facti qualitate neceſſariæ ſint, non ex ſola neceſſitate naturæ, ſed ex illa congruentiæ ac honeſtatis, cum totum dicatur dos, quod præſertim docet praxis in dote pro matrimonio ſpirituali, quod pro Monaſteriorum uſu, ſeu qualitate, quandoque plus importare ſolent appenditiæ ac expenſæ, quam id quod ſub nomine dotis Monaſterio datur; quinimò & ille annuus, vel menſtruus vitalitius redditus, qui ex tolerata per Eccleſiam conſuetudine monialibus aſſignari ſolet pro ſubventione in extraordinariis occurrentiis, quibus Monaſterium ſaltem non ita commodè providere ſolet.

102 Dubitatur autem, an eadem regula procedat tam in fideicommiſſo univerſali, quàm etiam in particulari; magis autem receptum eſt indefinitè in utroque procedere, remanente quæſtione ordinis, an ſcilicet prius diſcutiendum ſit univerſale, quàm particulare, nimiumque probabilis videtur affirmativa ſuper obſervantia dicti ordinis, qui etiam in ip-
103 ſiuſmet fideicommiſſi univerſalis, ſeu aliàs unici bonis adhibendus videtur, ut prius bona minus pretioſa hujuſmodi dotibus applicari debeant, quàm magis pretioſa, vel conſpicua, ſeu ad quæ teſtator aliquam particularem habuerit affectionem pro eorum conſervatione.

104 Prout ſub quæſtione eſt, an procedat tam in fideicommiſſis ordinatis per ultimam voluntatem, quàm etiam per contractum; & quamvis generaliter pro regula recepta ſit affirmativa, adhuc tamen quando ageretur de contractu reciproco, & correſpectivo, ac de fœminis diverſæ lineæ, dicta regula ſuas pati videtur difficultates, ſeu aliquas recipit diſtinctiones.

Procedit item regula, ſive agatur de fideicommiſſis re-
105 gularibus, ſive etiam de primogenituris, & majoratibus ſub fideicommiſſorum etiam vocabulo ac diſpoſitione regulariter venientibus; non tamen in Majoritatibus Hiſpaniarum ex illius regionis particularibus legibus, vel moribus diverſam naturam habentibus, atque ab aliis primogenituris & Majoratibus in pluribus diverſificantibus, præſertim verò in hac ſpecie.

Adeoque dicta regula extenſa eſt, quod non ſolùm rece-
106 pta ſit pro prima dote, quæ fœminis deſcendentibus conſtituenda ſit, ſed etiam pro ſecunda, vel alia pro alii nuptiis, quatenus prima ſine culpa conſumpta ſit; at etiam procedat non ſolùm pro puellis nubendis, ſed etiam pro jam nuptis abſque congrua dote, quæ poſt contractum etiam matrimonium peti poteſt.

107 Et quod magis, in aliquorum ſenſu, non tamen probabili, quamvis fortè recepto, ut etiam pro dote, vel dotis augmento per maſculos deſcendentes conſtituendo earum uxoribus, quibus ratione inæqualitatis dotem augere congruat, eadem regula extendatur; quod tamen non ita generaliter recipiendum videtur, ſed ſolùm in caſu quo tales circumſtantiæ accedant, ac veriſimilis ipſius fideicommittentis voluntas aſſiſtat.

108 Atque nedum pro ſorte principali dotis ejuſque appenditiis ut ſupra, bona fideicommiſſaria affecta ſunt, ſed etiam pro ipſius dotis non ſolutæ uſuris, ſeu interuſuriis, quod reſpectu ipſius fideicommiſſarii dotantis, ſeu dotare negligentis, poſtquam in mora conſtitutus eſt, rectè procedit, dummodò bonorum ſubſtantia in ſorte detrimentum non patiatur, reſpectu verò ſucceſſoris independenter jure ſuo venientis, pro fructibus vel interuſuris de tempore prædeceſſoris decurſis, id ſatis durum videtur: verùm adhuc fortè magis receptum, quoties colluſionis, vel poſitivæ negligentiæ ratio non adverſetur, cum eo tamen æquitativo temperamento, ut pro hujuſmodi fructibus, ſive decurſis, ſive currentibus diminutionem pati non debeant bona in ſorte principali, ideoque in foro dicterium volitat, ſors ex ſorte, & fructus ex fructibus, quod etiam quandoque pro facti qualitate limitationem recipere ſolet, ut etiam fructibus ipſa ſors affecta ſit.

109 Sub generica verò obligatione bonorum facta per dotantem, qui fideicommiſſi poſſeſſor eſſet, quatenus bona libera non ſuppetant, unde propterea ex hoc legis beneficio ad fideicommiſſaria detur actio, fideicommiſſaria quoque ſub dicta generali obligatione ineſſe cenſentur, ideoque idem proceſſus executivus, qui ſuper bonis liberis dotantis competeret; ſuper iſtis quoque concedendus venit, quaſi quod ita ſublato per legem obſtaculo ex fideicommiſſaria qualitate reſultante, bona cenſeantur ad hunc effectum de libero patrimonio.

Ubi verò fideicommiſſum ab aſcendentem ordinatum in-
ter pluries lineas, ſeu colonellos diviſum ſit, ſub quæſtione 110
remanet, an fœminæ deſcendentes per unam lineam, ſeu colonellum hoc beneficium obtinere valeant in bonis in aliam lineam, ſeu colonnellum obventis, & regula videtur negativa, limitanda verò, ſeu diſtinguenda ex facti qualitate & circumſtantiis; extra controverſiam tamen eſt idem beneficium competere ad ea bona, quæ ex ſui origine ad aliam lineam, ſeu portionem ſpectantia, ex illius defectu obvenerunt in parentem, ſeu lineam fœminæ dotandæ, cum ita poſt ſequutam conſolidationem ceſſet portionum, ſeu linearum diſtinctio, quæ tunc habeatur pro unica portione.

Non negatur autem, quod in præmiſſis aliiſque am-
pliationibus per ſcribentes tradi ſolitis huius legis diſpoſitio 111
fortè præter eius intentionem nimium extenſa ſit, quodque aliquæ extenſiones evidentem habeat rationis repugnantiam, præſertim verò ubi ipſius fideicommittentis ſpecialis prohibitio, atque in contrarium declarata voluntas accedat, dum cum claro æquivoco applicantur ulterioribus deſcendentibus ea quæ patri quoad filias primi gradus diſcretivè ad alios aſcendentes in iure diſpoſita ſunt; verùm ex ſupra inſinuata legalis facultatis infœlicitate, recipere oportet id quod maiores tradiderunt vel receperunt, quamvis repugnet ratio, cuius repugnantia magis concurrit in illis extenſionibus, quæ ut infra doti reſtituendæ traditæ ſunt.

Super huius etenim legis ratione ſatis variarunt ſcriben-
tes, aliquibus, cum minori tamen ſequela, id generaliter 112
referentibus illi Reipublicæ favori, qui generaliter in fœminarum dotatione conſideratur pro humani generis multiplicatione, ac Reipublicæ augmento; ſed parum congrua eſt hæc ratio, frequentiori calculo meritò reiecta, quoniam illa indefinitè adaptanda eſſet omnibus fideicommiſſis tam aſcendentium quàm collateralium, vel extraneorum, & tamen contrarium eſt abſque dubio receptum ut ſuprà, ut ſolis deſcendentibus hoc beneficium competat in bonis aſcendentis.

Altera eſt ratio aliquam maiorem habens ſequelam deducta ex veriſimili fideicommittentis voluntate, quod ſcilicet ſi viveret, veriſimiliter id vellet, ut deſcendentes de eius ſanguine congruè collocari deberent pro eius memoriæ decore.

Iſta ratio non incongrua dici poteſt, quando patrimonii vires ita patiantur, quod ſine notabili violatione voluntatis teſtatoris ad normam eius veriſimilis intentionis practicari valeat, nullatenus tamen adaptabilis omnimodæ everſioni, cui ut ſupra forus recepit, locum quoque in ſuis caſibus dari poſſe, multò verò minùs, ubi ſpecialis ac individua prohibitio, atque in contrarium declarata voluntas accedat, quam tamen lex ſpernit, cum impoſſibile ſit dare præſumptionem, quæ certæ ac expreſſæ veritati prævaleat.

In ordine autem ad dotem reſtituendam uxoribus deſcendentium, de qua infra, aliqui dictam rationem veriſimilis voluntatis quoque aſſignant, quaſi quod dum teſtator deſideravit in gravato aliiſque ſubſtitutis propagationem & lineę conſervationem, ita eos invitaſſe videatur ad matrimonium, quod licèt poſſit, non tamen contrahi ſolet ſine dote, quam proindè aſſecurare oportet; verùm iſta ratio magis incongrua eſt doti reſtituendæ, vel quia congruere deberet omnibus fideicommiſſis tractum ſucceſſivum habentibus, quamvis collateralium, vel extraneorum, cum in omnibus æquè procedat; vel quia dicta præſumptio ceſſet ex contraria veritate ut ſuprà.

Vel fortiùs, quia minori commiſeratione digna eſt mu- 113
lier, quæ dotem poſſeſſori fideicommiſſi tribuat, quàm ſit eius filia, vel deſcendens, dum prima rectè ſibi conſulere poteſt abſque huius beneficii neceſſitate, dando dotem in ſpecie diſſipationi non ſubiecta, vel ſibi cavendo de inveſtimento quantitatis, ac etiam quia fœminæ deſcendentes, quæ dotis conſtitutionem petunt, non ſolùm habent maiorem qualitatem, quod ſint de ſanguine teſtatoris, eiuſque veriſimilem dilectionem habeant, ſed etiam quia ſi eſſent maſculi, deberent ad ſucceſſionem admitti, ideoque ſubeſt altera ratio compenſationis, ſeu præmii excluſio-

cluſionis, quæ omnia ceſſant in muliere extranea, cui dos
reſtituenda ſit.
Tertia eſt ratio aliquam majorem habens probabilitatem,
magiſquè communiter recepta, legalis neceſſitatis, qua
aſcendens fideicommiſſi ordinator ſi viveret premeretur, ac
etiam quia dotandi obligatio, quæ aſcendentibus incumbit,
utpotè ſanguinis rationi innixa realis videtur cum ipſis bonis
ad ſucceſſores tranſmiſſibilis, ut ſupra occaſione dotis debi-
tæ ex diſpoſitione legis advertitur, & ob quam rationem re-
ceptum eſt hoc beneficium in bonis aſcendentis non autem
tranſverſalis procedere.
Quoad dotes conſtituendas ipſis deſcendentibus, & de
ſanguine teſtatoris, iſta ratio aliquam habet probabilita-
tem, non tamen accedente dicta in contrarium declarata
voluntate quoad inſinuatam ampliationem evertendi to-
tum fideicommiſſum, vel notabilem ejus partem, ubi to-
tum vel in notabili parte ad congruam conſtituendam ne-
ceſſarium eſſet, quoniam ſi ille viveret ac pulſaret, utique
cogi non poſſet ad ſe ſuamque poſteritatem omninò de-
pauperandam, ut unam vel aliquas fœminas provideat, ſed
ſolum cogendus veniret ad eam congruam, quæ attento pa-
trimonio debita eſſet.
Omninò autem inadaptabilis eſt dicta ratio doti reſti-
114 tuendæ extraneæ uxori poſſeſſoris fideicommiſſi; tum ob
veriſimiliter deficientem voluntatem, ut ob extraneæ mu-
lieris proviſionem propria proles ac deſcendentia denudanda
ſit; tum etiam quia excepto patre, ulteriores aſcendentes,
præſertim verò illi materni lateris cogi non poſſent ad
faciendum illam donationem propter nuptias, quæ pro
dotis aſſecuratione per patrem fieri debeat; & nihilomi-
115 nus etiam dictæ obligationis ratione urgente, adhuc ra-
tio incongrua eſt, cum eatenus dicta obligatio procedat,
quatenus ipſi patri, vel alteri aſcendenti, à quo dona-
tio vel dotis aſſecuratio petatur, ipſa dos ſolvatur, vel
filio de eius juſſu, & conſequenter ſi viveret & cogeretur,
ſuæ indemnitati providere poſſet, tutè inveſtiendo dotem
ſibi tradendam, adeout ejus patrimonium nullam diminu-
tionem patiatur.
116 Et propterea quamvis ex magis communi noſtrorum
majorum traditione in foro ſub ejuſdem traditionis cæca
fide receptum ſit hanc legalem obligationem bonorum fi-
deicommiſſariorum ita procedere pro dote conſtituenda, ac
pro reſtituenda cum ulteriori extenſione, quamvis extranea
117 mulier dotans fideicommiſſi; ac incompetentiæ detractio-
num certam ſcientiam haberet; quinimò quod magis, ac
mirabile, quamvis, conſtituta dote in quantitate, conven-
118 tum eſſet de illius inveſtimento in bona ſtabilia vel æquipol-
lentia, deindè verò neglecta cautela; liberè ac diſſipationi
ſubjecta tradita eſſet, attamen id revera nullum rationis fo-
mentum habere videtur.
Niſi conſideretur pro ratione, quæ intellectum capti-
119 vare valeat, quod teſtandi facultas, multò verò magis illa
ordinandi perpetua, & ſucceſſiva fideicommiſſa proveniat
à ſola inventione, ſeu benignitate juris poſitivi præter
fortè naturalem rationem, quodque propterea, id quod ſi-
ne ratione ex legis placito ſtatutum eſt, ex eodem placito
120 ſine ratione certis caſibus tollatur, dum favore dotis reſti-
tuendæ, ſeu uxoris deſcendentis id ampliatum eſt etiam ad
lucrum dotale, quod alicubi donatio propter nuptias, &
alicubi antephatum dicitur, cui nulla ex dictis rationi-
bus congruere poteſt.
Plures verò limitationes dicta regula patitur, & in qui-
bus hoc beneficium reſpectivè doti conſtituendæ, vel reſti-
121 tuendæ denegatur, quarum limitationum potiſſima ac
principalis eſt, quoties alias conſultum eſſe valeat, cum re-
ceptum ſit iſtud eſſe beneficium, ſeu remedium verè ſubſi-
diarium, quatenus alia bona libera non ſuppetant, cum qui-
bus conſultum eſſe poſſit.
Idque adeò verum, quod quamvis ipſius fideicommiſſi
ordinatoris expreſſa diſpoſitio accedat, adhuc tamen ut
122 ſupra inſinuatum eſt, ex magis communi, & recepta ſen-
tentia recipiendum eſt, quatenus non ſit aliundè conſul-
tum ad limites diſpoſitionis legalis, cui cenſetur ſuam
accomodare voluiſſe, niſi agatur de ſpeciali proviſione
ad favorem certæ, ac determinatæ perſonæ appellativo no-
mine explicatæ, cui perſonalis affectionis ratio congruat,
123 ideoque ſi extantibus aliis bonis liberis, vel non prævia eo-
rum diſcuſſione ad bonorum fideicommiſſariorum alienatio-
nem, ſeu aſſignationem procedatur, actus remanet in-
validus.
Nullis autem in foro ſuper præmiſſis hodie cadentibus
quæſtionibus, iſtæ reſtringuntur potius ad factum quàm ad
jus, quando ſcilicet bona libera adeſſe dicantur, vel pro
extantibus habenda ſint, & cuinam incumbat onus id pro-
bare, an ſcilicet mulieri petendi dotem conſtitui, vel reſti-
tui ex fideicommiſſo probare negativam, vel fideicommiſſa-
rio id recuſanti probare affirmativam.
Super hoc autem onere probationis nimis variatum eſt
inter ſcribentes, adeout quinque diverſæ opiniones deſuper 124
circumferri videantur; probabilior autem, atque in Roma-
na Curia recepta opinio eſt, ut probatio indefinitè incum-
bat ei qui actoris perſonam gerit; ſi enim mulier agendo,
dotem conſtitui, vel reſtitui petit à fideicommiſſo, ipſa pre-
mitur onere probandi qualitatem ſubſidii tanquam ſuæ in-
tentionis fundamentum, & conditionem ſine qua non com-
petit actio; è converſo autem ſi agatur de dote jam citrà vi-
tium attentatorum, vel colluſionis conſtituta, vel reſtituta,
unde fideicommiſſarius impugnando actum, ac prætenden-
do illum invalidum ob exiſtentiam bonorum liberorum,
vindicare velit bona diſtracta, vel aſſignata, & tunc ipſe di-
ctam exiſtentiam probare tenetur, cum in dubio præſumptio
ſit pro validitate actus.
Difficultas autem cadere ſolet quando conſtitutæ, vel re-
ſtituendæ dotis extractio facta non eſſet per viam naturalis,
ac veræ alienationis bonorum, quæ de facto à fideicommiſ- 125
ſo diſmembrata ſint, ſed per alienationem fictam, ſeu im-
propriam, qualis præſertim dicitur illa, quæ reſultat ab im-
poſitione cenſus, vel annui redditus ex cauſa dotis ad favo-
rem mulieris, vel alterius, cum dos in hac cenſuali materia
id peculiare habeat, ut ſine forma pecuniæ numeratæ alias
neceſſaria, cenſus validè creari poſſit pro credito dotali; &
tunc ſequuto jam ac perfecto contractu, & multò magis ſi
effectum ſortiri cœpit cum aliqua ſolutione fructuum,
quamvis ſpectata forma judicii, mulier vel alter creditor pe-
tendo à fideicommiſſario fructus cenſus pro tempore decur- 126
ſos, dicatur actor, attamen ſi fideicommiſſarius conventus
excipiat de indebita impoſitione ob exiſtentiam bonorum li-
berorum, partes actoris potius in hoc propoſito gerere dici-
tur, cum creditor intentionem jam benè fundatam habeat
in ipſa impoſitione: ubi enim actor ſuam actionem jam
benè fundavit, reus autem illam elidere velit cum exceptio- 127
ne, iſtam benè fundare tenetur, atque in ea partes actoris
gerit.
Quæ autem ſeu qualia eſſe debeant bona libera, ut eorum
exiſtentiam hoc beneficium, ſeu remedium ceſſare faciat,
ſæpè in foro controverti ſolet, cum caſus id frequenter præ-
beat, præſertim ubi agitur de dote reſtituenda, quia ſcilicet
adſint quidem bona libera, ſed intricata, & non facilis aſſe- 128
quutionis, puta quia pœnès tertios, aut extra Principatum,
vel provinciam, cum ſimilibus, quo caſu magis receptum
eſt mulierem non teneri ea excutere, neque deſuper in hoc 129
propoſito requiri illam rigoroſam, ac formalem excuſſio-
nem, quæ requiritur in aliis caſibus, in quibus illa præciſè
ac pro forma demandata eſt, ſed ſufficere diligentias tales
quales prudentis judicis arbitrio.
Quod tamen magis largè, ac benignè interponendum vide-
tur ad favorem puellæ deſcendentis teſtatoris contendentis
de dote conſtituenda, quàm extraneæ uxoris viri pariter de- 130
ſcendentis agentis de reſtitutione, tum quia, ut ſupra, ma-
jorem rationem, ac probabilitatem habet prima mulier, quę
majori commiſeratione digna eſt, quàm altera, quæ ſibi
præcavere poterat; tum etiam quia in primo caſu res majo-
rem deſiderat celeritatem, atque mora, quæ ex dicta excuſ-
ſione, ſeu diligentiis reſultat, magis irreparabile præjudi-
cium cauſat; fortiùs verò, ubi non ipſa mulier, ſed eius hæ-
res de huiuſmodi dotis aſſequutione contendat, ſeu aliæ con-
currant circumſtantię unam vel alteram procedendi formam
ſuadentes.
Neque dicta benignitas excuſandi mulierem ab onere ad-
hibendi exactas, ac rigoroſas diligentias ratione deſtituta eſt,
quoniam iura mulieri competentia ad bona libera intricata
eius qui aliàs dotis debitor ſit, transfunduntur ad fideicom-
miſſum pro eius reintegratione, adeout mulier teneatur de 131
illis facere ceſſionem, quæ etiam non facta, de iure ſubin-
telligitur, ideoque ipſe fideicommiſſarius poterit cum mino-
ri præiudicio ex mora reſultante dicta iura experiri, atque fi-
deicommiſſum reintegrare:
Iſtoque caſu, quo ita dictæ reintegrationis ſpes militet,
prudentis iudicis partes videntur providendi, ne bonorum 132
fideicommiſſariorum præſertim conſpicuorum, in quo-
rum perpetua conſervatione teſtator veriſimiliter aliquam
particularem affectionem habebat, alienatio, ſeu extractio
perpetuo, ac irretractabiliter fiat, ſed proviſionaliter, ac re-
tractabiliter, aſſignando ſcilicet ipſa bona mulieri, cum iu-
re re-

re redimendi intra tempus congruum, cum ea pecunia quæ
obtineri ſperatur ex bonis liberis excutiendis, ſive cum im-
poſitione cenſus redimibilis, vel ſimiliter pro prudenti arbi-
trio ex facti qualitate regulando, cum debita, & convenien-
ti circumſpectione, dum frequenter ſub his prætextibus fi-
deicommiſſorum everſioni ſtuderi ſolet.
Ubi verò pro dote præſertim reſtituenda dati eſſent fide-
133 juſſores, quos non obſtante regula, *ne fidejuſſores dotium
dentur*, pleriſque caſibus dari poſſe habemus in jure ſtatu-
tum x tunc aliqui crediderunt fidejuſſores prius excutiendos
eſſe; contrarium verò eſt probabilius ratione circuitus, quo-
niam ubi iſti pulſati ſolverent, ſuas actiones dirigere poſſent
contra ipſum fideicommiſſum pro indemnitate, ſeu reinte-
gratione.
Non obſtante autem bonorum liberorum carentia, quam-
vis benè juſtificata, mulier pro una, vel altera dote ab hoc
beneficio excluditur, ubi illa exiſtentia, quæ de facto non
134 adſit, de jure habenda ſit pro exiſtente, utputa in muliere
agente pro dote conſtituenda, ſi hæreditatem, legatum, vel
fideicommiſſum ſibi delatum agnoſcere negligat, vel ſuo de-
bitori, aut alteri credita, ſeu jura remittat, vel condonet
cum ſimilibus; remanente ſolùm aliqua dubietate, ubi non
per viam gratuitæ, ac voluntariæ remiſſionis, ſeu condona-
tionis procedatur, ſed per viam tranſactionis, per quam,
135 aliquo recepto, reliquum dimittatur, vel è contra, & tunc
deciſio pendet à diſtinctione, quæ habetur in materia tranſa-
ctionis tertium afficere debentis necnè, an bona, vel reſpe-
ctivè mala fide inita ſit, cum hoc ſecundo caſu vicem volun-
tariæ alienationis, ſeu remiſſionis habeat.
Et quoad dotem reſtituendam ponderari ſolet culpa mulie-
ris, ne ex bonis liberis talem reſtitutionem obtineat, quia
nempè viro illa alienanti conſenſum expreſſum præſtiterit,
ſeu aliàs in eorum diſſipatione participationem culpo-
ſam habuerit, ſive quod paſſa ſit per alios poſteriores cre-
ditores bona occupari, ita tamen quod ſibi imputari va-
leat culpa, ſuper qua tamen utpotè magis facti quàm juris,
certa determinataque regula generalis tradi non poteſt; ſed
deciſio pendet ex facti qualitate, ac ſingulorum caſuum
circumſtantiis prudentis judicis arbitrio, quod diſcretè in-
terponendum eſt ob ſexus muliebris imbecillitatem, cui
commiſerandum venit quoties culpa poſitiva, ſeu malitia
non accedat.
Ideoque rejicienda venit rigoroſa opinio volentium, ut
136 ob ſolam negligentiam non petendi aſſecurationem dotis
conſtante matrimonio competentem ob vergentiam ad
inopiam, hoc beneficio privari debeat, niſi conſtet de cul-
pa poſitiva, & colluſione, cum mulieres eſſe non ſoleant in-
formatæ de negotiis, ac ſtatu virorum, & quatenus aliquam
concipiant ſuſpicionem vergentiæ, non de facili audeant in-
tentare aſſecurationem, quam frequentior praxis docet ex-
tra caſum publicæ, ac formalis decoctionis peti, vel affecta-
ri magis ex parte ipſorum virorum, ita ſub hoc pallio dotis,
& nomine mulieris volentium eorum bonis uti frui, atque
creditores eludere.
Denegatur item hoc remedium, ſeu beneficium doti in-
137 congruæ, ac exceſſivæ, vel etiam doti non veræ, ſed con-
feſſatæ tantùm, ſive uxori indignæ, aut illi mulieri, quæ
138 viro indigno nupſerit, ſeu nubere velit, necnon uxori filio-
rum, ac deſcendentium naturalium tantùm, cum reſpectu
139 naturalium iſtud beneficium procedat in dote conſtituen-
da, non autem reſtituenda, quamvis aliqui, ſed malè ad
iſtam quoque illud extendere curaverint, remanente du-
bietate circa legitimatos, quod pendet à legitimationis qua-
litate, an ſcilicet illa ſit vera, adeout legitimatum in omni-
bus legitimum efficiat, vel ſit talis qualitatis, quod habili-
tet ſolùm ad aſſequendum id quod voluntariè relinquatur,
quæ ſpecies aliquibus diſpenſatio magis quàm vera legitima-
tio viſa eſt.
Uxori autem putativæ conceditur idem beneficium pro
dote reſtituenda, in illis caſibus in quibus ratione bonæ fidei
140 iſta dos pro vera in omnibus de jure habenda eſt; adhuc ta-
men ſatis circumſpectè procedendum videtur, ubi præſer-
tim non agitur favore ipſius mulieris, vel filiorum, ſed ex-
141 tranei hæredis, ad quem receptum eſt iſtud beneficium, ſeu
remedium quoque tranſmitti.
Atque ubi dotis conſtituendæ, vel reſtituendæ ſatisfactio
142 commodè ſequi poteſt ex fructibus, non de facili permit-
tenda eſt diſtractio bonorum in ſorte principali, quod pen-
det ex facti qualitate, atque ad hunc effectum ſatis refle-
ctendum venit ad dictam diſtinctionem inter dotem conſti-
tuendam, & reſtituendam, ut in hac ſecunda faciliùs arbi-
trium interponendum ſit pro diminutis, ac interpolatis di-
minutionibus cum fructibus, ex eiſdem differentiæ rationi-
bus, de quibus ſupra occaſione diligentiarum, ſeu excuſſio-
nis bonorum liberorum.
Sequuta verò pro una, vel altera dote diſtractione, ſeu
extractione bonorum fideicommiſſi, quæri ſolet, an ſuper-
venientibus bonis liberis, vel diſſoluto matrimonio fidei- 143
commiſſum reintegrari debeat, atque bona extracta ad il-
lud reverti, ſuper quo cadit eadem diſtinctio inter dotem re-
ſtituendam, & conſtituendam, ut in caſu reſtituendæ, ſi
ad formalem reſtitutionem proceſſum non eſt, ſed ſolùm ad
aſſecurationem, per quam dominium abdicari, vel reſpe-
ctivè transferri non dicitur, ſuperventis bonis liberis, ex
iſtis potius facienda ſit reſtitutio; ubi verò iſta jam perfectè
ſequuta, ſeu conſumata eſt, tunc ſupervenientia bonorum
liberorum non retractet actum jam conſumatum, neque fi-
deicommiſſario adverſus mulierem, vel habentem cauſam
ab ea datur jus offerendi, ſed fideicommiſſum ex bonis ſuper-
ventis reintegrari debet.
In caſu autem dotis conſtituendæ, quoties actus eſt jam
perfectus, & conſumatus, ſupervenientia bonorum libero-
rum, nedum illi cujus proximior erat dotandi obligatio, ſed
etiam ipſimet mulieri non cauſat retractionem; idemque ſi
matrimonium quamvis abſque liberis diſſolvatur, unde pro
regula receptum eſt, ut bona ſemel pro dote à fideicommiſſo
extracta, ſemper libera remaneant, neque ad fideicommiſ-
ſum amplius redeant, quod tamen non extantibus filiis, ni-
mis aſperum videtur, tanquam ex ceſſante cauſa, ideoque 144
conſultius agent fideicommiſſorum ordinatores, ſi legem re-
verſionis generaliter adjiciant, & quam ſatis probabile eſſet
per judicem quoque adjici in ipſa aſſignatione, ſeu extractio-
ne dotis, ne ita citrà diſponentis voluntatem, ac rationem, 145
fideicommiſſa de facili evertantur, atque melioris conditio-
nis remaneant fœminæ quàm maſculi; de aliis verò ad hanc
materiam, in qua ſcribentes nimium ſe diffudiſſe videntur,
actum habetur in ſua ſede.

x *diſc.* 162. *hoc tit.*
y *diſc.* 145. *ac etiam diſc.* 37. *cum pluribus ſeqq. in quibus
de omnibus præmiſſis.*

*An de bonis feudalibus, & juriſdictionalibus, vel emphyteu-
ticis, ſeu aliàs alienari prohibitis, & in libero commercio
non exiſtentibus, dos conſtitui, vel reſtitui poſſit, & in quo
dos ſit in hoc privilegiata.*

IN illis bonis indifferentibus, quæ utpote in libero com-
mercio exiſtentia liberè alienari poſſint, neque aliqua per-
ſonarum incapacitas urgeat, quærere non oportet, an in
cauſam dotis id fieri valeat; quæſtiones autem cadunt in iis
caſibus in quibus id regulariter ſit prohibitum, an ſcilicet dos
conſtituenda, vel reſtituenda in hoc privilegiata ſit, ut quod
aliis negatur, ſibi permittatur.
Ad id autem dignoſcendum diſtinguenda eſt prohibitio 146
realis ob qualitatem bonorum, à prohibitione perſonali,
ob perſonarum ſcilicet incapacitatem, ſub prima verò pro-
hibitione cadunt bona feudalia, & juriſdictionalia, & jura
Regalia, ac etiam emphyteutica, & cætera quæ in libero
commercio non ſint, ut eſt uſusfructus cum ſimilibus, ul-
tra fideicommiſſaria, de quibus actum eſt ſupra; quare de
his diſtinctè agendo.
Quatenus ad bona, & jura feudalia, & juriſdictionalia, 147
ſeu Regalia pertinet, ſcribentes nimis alta petendo ſe in-
trudunt in Regnis, ac Principatibus habentibus ſupremum
dominium, ac jura Regni, an ſcilicet hæc dari poſſint in
dotem in toto, vel in parte, vel pro ea obligari; ſeu an Re-
ginæ, vel Principiſſæ maritus fiat Rex, vel Princeps, plu-
res adhibendo diſtinctiones, an ſcilicet agatur de Principatu
electivo ferè nunquam in fœmina practicabili, vel potius
ſucceſſorio, qui frequenter in fœminis cadit, & an ſucceſſor
ſit jure hæreditario, vel ſolo jure ſanguinis, ſive an detur in
dotem aliqua pars Principatus abſque ſupremo altoque do-
minio, ac regalibus majoribus, adeout corona, vel Prin-
cipatus non patiantur ſciſſuram, vel deformationem, & è
contra, cum ſimilibus diſtinctionibus, pluribuſque decla-
rationibus, quæ apud tractantes habentur.
Incongruus tamen, ac inanis dicendus videtur iſte la-
bor, quoniam licèt Principes utpote aliis exemplum præ-
ſtare debentes, atque tanquam Civitas ſupra mortem,
ac lucerna ſuper candelabrum, ſecundum leges magis 148
quàm privati vivere debeant, non tamen ſe agnoſcere ſo-
lent ſubjectos juriſtarum traditionibus congruis privatæ
domui, quæ ſua ſunt ſolùm quærenti, quaſi quod mora-
les virtutes privata bona ſint; fortiùs verò quia cum nil fe-
rè habeatur in jure pacificum, omneſque juris propoſi-
tiones

tiones diverſas habeant opiniones, vel declarationes, neque Principibus deſit adulatorum copia, hunc rarum, ac difficile eſt, quando ea quæ dicitur, ſumma ratio rerum non accedat, hujuſmodi quæſtiones per ſolos juris tramites decidere.

Remanente igitur ſuper his integro loco veritati, atque agendo de illis feudalibus, vel iuriſdictionalibus bonis, quæ per ſubditos alterius ſuperioritati, ac iudicio obnoxios poſſideantur, atque diſtinguendo caſtra, aliaque bona iuriſdictionalia quæ allodialia ſint, ſive feuda adeò impropriata, quod allodialium naturam habeant, eorumque iure cenſenda ſint, ab illis quæ tanquam feuda recta, & propria, iuxta leges, vel conſuetudines feudales regulantur.

In prima ſpecie iuriſdictionalium, feudi veri naturam non
149 habentium, nil in iure ſtatutum videtur, ideoque in eis tanquam in reliquis bonis indifferentibus liberæ diſpoſitionis conſtituenda venit eadem regula generalis affirmativa, quæ ceſſante caſu limitatio in aliis bonis habetur.

Ex aliquorum autem Principatuum, ſeu ditionum iure
150 particulari in hac bonorum iuriſdictionalium ſpecie certis caſibus prohibitio etiam viget dandi in dotem, vel pro ea obligandi, ubi potiſſimum cum non ſubditis contrahi contingat, quaſi quod iuſtè Princeps ſcire debeat quiſnam in ſua ditione, & cum ſuis ſubditis iuriſdictionem, ac imperium habere, ac exercere debeat.

In ſecunda verò ſpecie feudalium, ſi ipſamet mulier ſit feudi domina, quæ illud viro pro eius dote tradat inæſtimatum
151 abſque pacto lucri ex ipſius feudi corpore detrahendi, receptum eſt licitè abſque alio Domini aſſenſu fieri poſſe: ſecus autem ubi daretur æſtimatum, ſeu cum pacto lucri ex eo detrahendi, cum ita ſit alienare in extraneum.

Idemque quod habetur de muliere feudataria ſe ipſam dotante, procedit ubi eius pater feudi Dominus eidem filiæ
152 proximè ſucceſſuræ illud in dotem tradat tanquam per ſpeciem refutationis, vel præventivæ reſtitutionis, quæ ſine Domini aſſenſu rectè fieri poteſt; aut quod illi quorum proximior eſt cauſa ſuccedendi, ſuo iuri cedant, ac de medio ſe tollant, dummodo mulier ſit de comprehenſis in inveſtitura, ſive quod agatur de feudo merè hæreditario in extraneos etiam ſine aſſenſu alienabili, quod iure bonorum indifferentium potiùs cenſendum eſt. *a*

Aliquibus cadentibus quæſtionibus ſuper facultate obligandi feudum pro dotis reſtitutione, de quibus utpotè in
153 foro raris in noſtra Italia extra regionem de qua infrà, in ſua ſede videndum eſt; ubi etiam de paragio quod fœminis de ſanguine per agnatos eas excludentes debitum eſt, ſuper feudo in quo fœminæ, ſi non hypothecam, aut aliud ius verè reale non habent, adhuc tamen habent quandam actionem rei perſecutoriam, per quam plures obtinent proficuos effectus.

Huiuſmodi autem inſpectio, tam conſtituendæ quàm reſtituendæ dotis in feudis, frequentior videtur in feudis Re-
154 gni Siciliæ citerioris, quod aliàs Apuliæ, ſeu Neapolitanum nuncupari ſolet, ad quæ citramontanorum tractationes ut ut plurimum reſtringi videntur; quamvis enim in primæva erectione, utriuſque citerioris, ac ulterioris Siciliæ unum eſſet Regnum, cuius unitate durante, plures editæ fuerunt leges quæ Conſtitutiones dicuntur ſuper prohibitione dandi feuda in dotem, quinimò nubendi ſine Regis aſſenſu; attamen poſt illius diviſionem, per quam ex uno effecta ſunt duo Regna, quorum quodlibet cum diſtinctis, ac diverſis legibus vivere cœpit, plura ſuper hac materia prohibitionis, vel dandi feuda in dotem contigerunt, unde propterea diverſæ deſuper habentur opiniones.

Verum quidquid in diſputativa ratione diei poſſet, magis recepta eſt opinio, ut datio feudi quamvis inæſtimati
155 in dotem, licèt non cadat ſuper reprobis legibus matrimonii libertatem percutientibus, attamen cadat ſub ea alienandi prohibitione, quæ in hoc Regno latiùs patet, quàm ſit de iure communi feudorum, ideoque id ſequi non poſſit quoad feudi corpus, vel ſubſtantiam, ſecùs autem quoad
156 commoditatem, quæ conſiderata tanquam nudi facti non percutiat ſubſtantiam feudi, neque ius in eo tribuat, quod ſpeciale non eſt in dote, ſed generaliter, ac indefinitè procedit, neque provenit ex eiuſdem Regni legibus, vel ſtylis peculiaribus, ſed ex diſpoſitione, vel ratione iuris communis tam in feudis, quàm in omnibus aliis alienari prohibitis, ac in libero commercio non exiſtentibus, quamvis de Beneficiis, ac penſionibus Eccleſiaſticis agatur.

Si verò feudum de facto detur in dotem, atque vir illius
157 fructus percipiat, adhuc dicta prohibitione, ac ſucceſſivè actus nullitate non obſtante eos faciat ſuos utpote reſtaurativos onerum matrimonialium, quaſi quod ita implicitè dos conſtituta cenſeatur in quantitate proportionata pretio, ſeu valori feudi, & pro qua favore viri onera matrimonii ferentis debentur, vel fructus pignoris, vel uſuræ, ſeu interuſuria, cum ipſorum onerum ſupportatio non data contraria conventione, vel dilatione expreſſa, loco moræ aliorumque requiſitorum ſtare dicatur, bene tamen nullitas actus operativa remanet quoad alios effectus. *d*

Quinimò in aliquorum ſenſu dicta nullitas viro proficua eſſe poteſt, quoniam in quacumque feudorum alienatione, quæ ibi ſequatur abſque Regno aſſenſu, competente cuilibet ex contrahentibus, facultate revocandi actum, ac ve- 158
niendi contra factum proprium ante Regii aſſenſus validè impetrati, ac executi impetrationem, adeo actus infectus remanet, ut operetur retrotractionem ad ſuum initium etiam cum reſtitutione fructuum per emptorem venditori facienda, ita tamen quod è converſo venditor imputare, vel ſolvere teneatur emptori uſuras, vel intereſſe pecuniæ quàm interim in cauſam pretii retinuit, & propterea cum uſuræ dotales in ea regione ex conſuetudine videantur maiores, quàm importent fructus feudi, qui frequentiùs minores eſſe ſolent quàm ſint interuſuria debiti pecuniarii, idcircò dicto ſenſu retento intereſſet viri actum eſſe nullum, dum ita maiorem quantitatem uſurarum dotalium obtinere poterit; verùm id non videtur in praxi recipiendum, vel quia generaliter minus probabile ſit, ut emptor pro intermedio tempore quo contractus ſaltem de facto fuit in ſtatu validitatis, uſuras, vel interuſuria pretii ſoluti prætendere valeat in majori quantitate, quàm importent ipſius feudi fructus, dum ipſe jam declaravit animum ſuum in hanc minus fructiferam occaſionem erogare pecuniam, ideoque non poteſt plus intereſſe. *e*

Tum etiam quia dato ſimpliciter feudo in dotem, ex legis fictione, & interpretatione dos conſtituta cenſetur in ea quantitate, quæ illius pretio, ſeu valori reſpondeat, ideoque intrare non videntur ea quæ habentur de uſuris dotalibus debitis pro dote conſtituta in certa quantitate, ſeu pecunia, quam vir dicere poteſt, quod in magis fructiferas occaſiones erogare potuiſſet.

Quo vero ad feudorum obligationem pro dote reſtituenda, receptum eſt eamdem prohibitionem procedere, cum 159
non detur abſque Regio aſſenſu contractus, per quem acquiratur jus reale, quod feudi corpus, vel ſubſtantiam percutiat, ideoque viro, vel alteri, cui in cauſam dotis feudum obligetur, nulla quæritur hypotheca, nullumque jus reale, ſed ſolùm actio perſonalis, cujus vigore exerceri ſolùm poſſunt ea remedia, quæ cuicumque alteri privato chirographario creditori de jure conceduntur, cum in feudis dos in aliquo privilegiata non reperiatur. *f*

Solumque ſpeciale in hoc propoſito habetur in Civibus Neapolitanis, quod uno eorum in contractu dotali interve- 160
niente, in quo feudalium expreſſa obligatio accedat, ſubintelligatur Regius aſſenſus, qui per ejuſdem Regis gratiam generaliter conceſſus eſt, ſuper obligatione tamen non autem ſuper datione ipſius feudi, cum gratia iſtum caſum non percutiat, ſuper qua gratia, ſeu aſſenſu generali plures habentur declarationes, ſeu ampliationes, & limitationes, de quibus in ſua ſede videri poteſt. *g*

Quod autem dicitur de feudis in libero commercio ut ſupra non exiſtentibus, ex rationis identitate recipiendum videtur in illis juribus Regalibus, quæ ſine Principis aſſenſu in commercio non ſunt, ut habemus in officiis venali-
bus, ſeu juribus cum Principe, vel Republica, quæ in Ita- 161
lia loca montium nuncupantur cum ſimilibus, in quibus dos nil habere videtur ſpeciale, neque ſine facto ipſius Principis, vel ejus, quem ipſe ad hunc effectum deputavit, detur eorum translatio, vel acquiratur jus reale, quod ſubſtantiam percutiat, ut in hujuſmodi jurium Regalium particulari ſede habetur. *h*

Quoverò ad bona emphyteutica, ſeu livellaria, aut aliàs
ab illis liberæ diſpoſitionis differentia, ſi fœmina dotanda eſt 162
de comprehenſis in inveſtitura, quatenus pertinet ad præjudicium Domini, & ne illius aſſenſus requiratur, planum videtur talia bona in dotem dari poſſe inæſtimata, & ſine pacto lucri eo modo quo de feudis dictum eſt, ſecus autem ſi æſtimata, ſeu cum pacto lucri in ipſis bonis, cum tunc alienatio in extraneum fieri dicatur, ita tamen quod ex dicta facultate dandi in dotem non pervertatur ordo inveſtituræ quoad præjudicium agnatorum; aliorumque vocatorum, alicubi tamen ex juribus principalibus, præſertim in Urbe dos privilegiata reperitur, ut in ejus cauſam de bonis emphyteuticis diſponi valeat, quamvis aliis regulariter prohibitum ſit, ita tamen quòd utraque bonorum, ac perſonarum ſubjectio concurrat in legiſlatore ita diſponente, ideoque cum Statuta Urbis quamvis de Papæ mandato condita, atque ab eo approbata, juxta unam opinionem, quæ hodie retinetur, laicalia potius cenſenda ſint, perſonas, vel bona Eccleſiaſtica non afficiant niſi in caſibus expreſſis, ſub quæſtione remanet, an id procedat in bonis de directo dominio Eccleſiarum, & Eccleſiaſticorum, ſive ubi prohibitio munita ſit juramento.

164 Pleriſque aliis in materia emphyteuſis in dotem datæ cadentibus, præſertim ſi viri negligentia, vel culpa in ſolutione canonis uxori præjudicet quoad incurſum caducitatis cum ſimilibus, ipſam emphyteuticam magis quàm dotalem materiam percutientibus. *i*

Sub hujuſmodi prohibitione reali, ſive inſpectione bonorum ac jurium differentium, in quibus non procedat illa
165 generalis regula permiſſiva, quæ habetur in bonis indifferentibus liberæ diſpoſitionis, cadunt jura perſonalia, quæ in alterius præjudicium quoad ſubſtantiam de uno in alterum transferri non poſſunt abſque conſenſu ejus, qui in translatione intereſſatus eſt, ut præſertim eſt uſusfructus, uſus, vel ſervitus perſonalis, ac ſunt officia quamvis non regalia, ſeu alia jura vitalitia, adeout tertii non contrahentis interſit ſubſtantiam juris de uno in alium transferri, atque in his quicquid ſcribentes varient, recepta eſt regula negativa, quoad ea quæ percutiunt jus, vel intereſſe tertii, & ex cujus perſona uſusfructus, vel aliud jus perſonale extingui, ſeu ceſſare debeat, aliis tamen effectibus validè reſultantibus quoad ipſos contrahentes inter ſeſe, inter quos quæſtio remanet, reſtitutionem magis quàm conſtitutionem dotis percutiens, quid ſcilicèt facto reſtitutionis caſu vir reſtituere tenetur, ubi dos in toto, vel in parte in hujuſmodi bonis, vel juribus vitalitiis, ſeu perſonalibus conſtituta eſt. *l*

Altera quoque conſiderari ſolet prohibitio perſonalis, à
166 perſonæ ſcilicèt inhabilitatione proveniens, acquirendi bona quamvis aliàs indifferentia, & liberæ diſpoſitionis, ut contingit ex Statutis aliiſque legibus municipalibus inhabilitantibus forenſes ad acquirendum bona præſertim ſtabilia in dominio, vel ditione ſtatuentis abſque ejus placito, vel aſſenſu; iſtoque caſu duplex cadit inſpectio, una poteſtatis, an ſcilicet illi forenſes in quos bona ex hoc titulo diſtrahuntur, ligentur necne Statuto, & in hoc dos nihil habet peculiare, cum id genericè, ac indefinitè procedat in quocumque alio contractu, ſeu ſpecie alienationis; altera verò eſt comprehenſionis, an ſcilicèt ſub prohibita alienatione in forenſes veniat iſte actus dationis in dotem, quam mulier, vel alter eam dotans faciat viro forenſi, ſeu aliàs inhabili ad acquirendum, & tunc niſi ſpecialis accedat proviſio in contrarium, procedendum venit cum eadem diſtinctione, de qua ſupra in feudalibus, ac emphyteuticis, aliiſque alienari prohibitis, an dentur inæſtimata, & ſine pacto lucri, vel è contra, ut in primo caſu ſit licitum, non autem in ſecundo, in quo unum, vel alterum, vel utrumque fiat, cadente eadem determinatione circa fructus, quos in caſu actus illiciti, vir de facto percepiſſet, pleriſque aliis ſub hac inſpectione cadentibus, de quibus utpotè in foro raris in ſua ſede videri poterit.

z *diſc. 146. hoc eod. tit.* a *d. diſc. 146. & ſub tit. de feud. diſc. 20.* b *d. tit. de feud. diſc. 108. diſcurſ. 26. & 78.* c *d. tit. de feud. diſc. 20. & hoc tit. diſc. 146.* d *d. diſcurſ. 146. hoc tit.* e *tit. de feud. diſc. 31.* f *d. diſc. 156. hoc tit.* g *eod. diſc. 146. hoc tit. & d. tit. de feud. diſcurſ. 26.* h *ſub tit. de Regal. ad materiam officiorum, & locorum montium.* i *diſc. 147. hoc titul. de emphyteuſi, diſc. 41.* l *diſc. 148. hoc tit. & ſub tit. de Regal. diſc. 35.* m *diſc. 149. hoc tit.*

De taxa dotis congruæ, ſeu de paragio quomodo facienda ſit, & quæ dicantur nuptiæ pares, vel impares, ſeu dignæ, vel indignæ; & de Statutis, ac legibus dotium moderatoriis.

IN omni legis, vel hominis dotandi obligatione, ineſt conditio congruitatis, ſeu de paragio, ad cujus limites,
167 tam affirmativè, quam negativè, ſeu tam per aſcenſum, quàm per non exceſſum, talis obligatio reſtricta eſt; ideoque potius facti quàm juris videntur iſtæ quæſtiones ſuper congruæ dotis taxa cadentes, circa quas agitur prius quid de jure communi ſecluſo municipali ſtatutum ſit, deindè verò quid legibus municipalibus dotium moderatoriis urgentibus.

In terminis generalibus juris communis plures caſus diſtinguendi ſunt, primò ſcilicèt dotis conſtitutæ, vel conſtituendæ per patrem viventem; ſecundò per eumdem mo- 168
rientem, ac diſponentem; tertiò per fratres, vel alios ex Statuto, vel fideicommiſſo, ſeu inveſtitura excludentes fœminam quam dotare teneantur; quartò in dote debita per alios ratione ſanguinis, vel charitatis dotare obligatos, ſeu eorum hæredes, & ſucceſſores. Quintò in dote debita per ſtupratorem, vel raptorem; & ſextò in ea quæ habeatur tantùm ex diſpoſitione hominis.

Quoad primum, altercatio eſt inter ſcribentes, an dos quam pater vivens filiæ conſtituere tenetur, commenſurari debeat cum legitima, aliis ſimpliciter affirmantibus, aliis verò diſtinguentibus inter jam nuptam & nubendam, aliiſque alia opinantibus; omninò tamen verius eſt, ac in foro 169
receptum, iſtam reſtrictivam, ſeu menſuram non dari, quoniam non datur legitima viventis, in cujus bonis filius, vel alter deſcendens nullum jus habere dicitur, ſed ſolam ſpem eventualem ejus quod poteſt non contingere, vel per ipſius filii præviam mortem naturalem, vel civilem, aut per ipſius patris infortunia, & depauperationem, &c. Ideoque patris viventis obligatio (cum præſuppoſito dignarum nuptiarum) eſt dandi dotem congruam, quæ aliàs de paragio vulgò dici ſolet, quanta ſcilicèt ſuis paribus congruat, ſive ſit infrà, ſive ſit ſupra id, quod eo ſtatu attento legitima importaret, quando tunc pater decederet. *n*

Quia verò ad paragium regulandum unum ex requiſitis, ſeu reſpectibus deſuper habenda eſt quantitas paterni patrimonii, idcircò ea menſura, quam lex taxavit favore filiorum in defuncti parentis legitima, loco alimentorum ſubrogata, quandoque deſervire poterit pro norma regulandi arbitrium, non tamen quod debeat eſſe regula præciſa, cum hujuſmodi taxa pendeat ex facti qualitate, & circumſtantiis prudentis Judicis arbitrio penſandis, adeout utpotè in quæſtione facti potius quàm juris prorsùs erronea ſit opinio credentium, certam ac determinatam regulam deſuper tradi poſſe, tam in genere, quàm circa ſpeciales circumſtantias, non ſemper, ſeu pariformiter attendendas, ſed diverſimodè pro facti qualitate, earumque maiori, vel minori concurſu.

Circumſtantiæ verò, cum dicto præſuppoſito parium, ſeu dignarum nuptiarum ſunt; primò qualitas parentis; ſecundò qualitas viri; tertiò quantitas patrimonii; quartò numerus filiorum; quintò mos regionis, ſextò conſuetudo particularis familiæ, vel parentelæ; & ſeptimò qualitas ipſius puellæ collocandæ, an ſit virgo, vel corrupta, vel formoſa, ſeu deformis, ſive an in ætate congrua, vel nimiùm annoſa, cum ſimilibus circumſtantiis, ſuper quibus ut inſinuatum eſt, certa, & determinata regula non datur; eiſque ita generaliter per ſcribentes conſiderari ſolitis aliæ duæ addendæ videntur, una ſcilicèt, an filia ſit dives, ac aliundè proviſa: & altera, an patrem ſpreverit, eoque inſcio, vel invito quamvis dignè nupſerit; licèt enim de ſtricto iuris rigore utroque caſu (iuxta unam opinionem, quam forus quandoque recipere conſuevit, quamvis parùm probabilem) pater ad dotem teneatur, attamen videtur, quod iſtæ ſint circumſtantiæ nimiùm attendendæ pro dicto arbitrio regulando circa maiorem, vel minorem taxam. *o*

Procedunt hæc in dote matrimonii carnalis, in qua frequentiùs huiuſmodi controverſiæ in foro haberi ſolent, ſecùs autem in illa matrimonii ſpiritualis, in qua rece- 171
ptum eſt congruam dotem dici illam, quæ in ſumma uniformi abſque exceptione perſonarum tradi ſolet Monaſterio, quæſtione quandoque cadente circa Monaſterii qualitatem, ob quam maior, vel reſpectivè minor ſolet eſſe, an ſcilicet filia eligente Monaſterium ſic qualificatum, in quo maior dos præſtari ſoleat, ſive in quo ob exceſſum numeri, vel alias circumſtantias illam duplicatam, vel triplicatam dare oporteat, pater ad id teneatur, quod pariter certam regulam, ſeu deciſionem generalem non recipit, ſed pro facti qualitate decidendum eſt ex eodem arbitrio regulando à dictis circumſtantiis generalibus occaſione matrimonii carnalis ponderari ſolitis.

Idemque circa huius ſpiritualis dotis appenditias non habentes illam uniformem taxam, quam habeat id quod ſub 172
nomine dotis Monaſterio traditur, atque in ſuſceptione habitus deponendum eſt, ut ſunt expenſæ ingreſſus, vel profeſſionis, aliarumque functionum, ac etiam eſt ille annuus, vel menſtruus redditus vitalitius, qui monialibus pro extraordinariis indigentiis, vel ſubventionibus aſſignari ſolet, atque ut ſupra inſinuatum eſt, dos vel pars dotis dicitur,

citur, cum hoc reſpectu intret ratio paragii inſpecta quali-
tate perſonarum, quantitate patrimonii, conſuetudine Mo-
naſterii in aliis monialibus ejuſdem ſpheræ, ſeu qualitatis
cum ſimilibus, prorſus enim incongruum eſſet, ut filia Ma-
gnatis primi ordinis tantum redditum habere deberet, ſeu
eaſdem expenſas in ſuſceptione habitus, vel emiſſione pro-
feſſionis, aliorumque munerum exercitio facere, quantum
congruat moniali privatæ ac longè inferioris fortunæ, licèt
quoad dotem Monaſterio præſtandam æqualis eſſet unius ac
alterius conditio. *p*
Item hæc procedunt, ut dictum eſt, cum præſuppoſito
173 dignarum nuptiarum, ſecus autem ubi indignæ, vel impa-
res eſſent, tunc enim circumſtantiæ, quæ indignitate non
obſtante patrem obligant ad dotandum, ut ſunt e.g. exceſ-
ſus ætatis 25. annorum, ſive ipſius parentis mala vita, & mo-
res, aliaque in propoſito ponderari ſolita, præſertim pau-
pertas tam ipſius mulieris indignè nubentis, quàm ejus viri,
percutiunt ſubſtantiam debiti, ſeu limitationem patris exem-
ptivam ab hoc onere, ad quod aliàs aliqua ex dictis circum-
ſtantiis non concurrente, non teneretur, non autem taxam,
ſeu qualitatem, quæ ſemper nuptiis proportionata eſſe de-
bet, ut de paragio dicatur, habita tamen ratione culpæ pa-
tris, magis quàm filiæ indignè nubentis pro aliqua magis,
vel minus pingui proviſione, pro facti qualitate ex eodem
prudenti arbitrio, cui totum remiſſum eſt. *q*
Circa verò filiorum numerum, ac patrimonii quantita-
174 tem, attendendum eſt tempus nuptiarum, quatenus de pa-
tris conſenſu ſequantur, ſi autem eo inſcio, vel invito, ſal-
tem tempus petitionis, vel moræ per eum contractæ in do-
tando, unde propterea ſi eo medio tempore, in quo moro-
ſus fuit, filiorum numerus augeatur, ſed patrimonium de-
creſcat, id filiæ damno credere non debet, neque illi tollere
jus radicatum, ſeu quæſitum in taxa tunc decernenda, cum
in odium moroſi actus faciendus habeatur pro facto, ac et-
iam quia intermedia diminutio numeri filiorum, ſeu facul-
tatum paternarum accretio non augeret dotem, quæ filiæ
jam nuptæ de congruo, ſeu de paragio attento tempore nu-
ptiarum, ſtatuta eſſet, ideoque incommodo ſubjacere non
debet, qui commodum, ſeu augmentum non ſperat, ex re-
gula *ſecundum naturam &c.* *r*
Secundus caſus eſt patris morientis ſuper dote filiæ innuptę
175 diſponentis, dictoque caſu, aut nullum urget jus munici-
pale, quod filias in toto, vel in parte legitima privet, adeo-
ut cum ſolis terminis generalibus juris communis proceden-
dum ſit, & tunc certum eſt patrem morientem non poſſe re-
linquere dotem filiæ in minori ſumma quàm importet legiti-
ma eidem filiæ de jure naturæ debita, in qua paterna volun-
tas omninò refrænata eſt; idque ſive filia unum, vel alte-
rum matrimonium eligat, ſive etiamſi pro uno, vel reſpe-
ctivè altero matrimonio longè minor ſumma ad congruam
dotem ſufficiat; quinimò etiamſi diſpoſitio pro dote facta ad
iſtius eſſe non reducatur, quia nempè filia nubere nolit, ad-
huc ad limites legitimæ effectum ſortiri debeat, cum jure
petendi ſupplementum, ac fructus, & tranſmittendi, nec-
non quæcumque onera, conditiones, vel dilationes reſe-
candi, cum aliis legitimæ potius quàm dotis materiam con-
cernentibus, cadente ſolùm titulo dotis cum ejus implicita
conditione matrimonii, ac aliis hanc peculiarem materiam
concernentibus, in eo pluri, quod neceſſarium eſſet ad con-
176 ſtituendum dotem congruam, ſeu de paragio, quando legi-
tima non ſufficeret, ſtante quod obligatio patris viventis ut
ſupra transfunditur ad hæredes, & ſucceſſores ac bona, cum
ſolo differentia in eo, quod legitimam excedit, qualitatis
ſubſidii, quamvis tatum ſit hujuſmodi officium judicis in-
terponendum eſſe pro dicto exceſſu, cui tamen ex facti qua-
litate quandoque locus eſſe poteſt, intra tamen, ſed non
ultra virilem. *ſ*
Ubi verò adſit ſtatutum, vel aliud jus municipale, quod
177 juris communis diſpoſitionem alteret, non faciendo qui-
dem fœminas extraneas, cum id cadat ſub proximè ſequen-
ti caſu, ſed ſuitate retenta, atque dote adhuc ſuccedente lo-
co legitimæ, aliquam tribuat patri facultatem minuendi le-
gitimam, ut eſt in Urbe, quod patre qui filiis maſculis ca-
reat, diſponente ad favorem agnatorum (maſculorum ta-
men) præcipitur filiam fœminam ejus judicio, ac diſpoſitio-
ni pro dote acquieſcere debere, cum tunc intrent ſolùm ter-
mini congruitatis, & paragiis, cui ſufficit ſatisfieri, non
autem legitimæ, adeout pater moriens, eidem dotanti in
vita æquiparetur. *t*
Procedunt hæc in utroque caſu patris dotantis in vita, vel
178 in morte extra controverſiam, quando unica ſit diſpoſitio,
ſeu taxatio, quam ſemel factam cum ſubſequutis nuptiis, iſtis
diſſolutis in ulterioribus alterare non poteſt, neque tenetur,
ideòque dos conſtituta pro primo matrimonio, conſtituen-
da eſt pro ſecundo, quamvis ob profectitiam qualitatem re-
verſa fuerit ad patrem, atque ejus patrimonio conſolidata,
quoniam reſolvuntur quidem priores hypothecæ prioraque
iura tamquam per annihilationem, ac ceſſionem cauſæ, un-
de propterea nova dos ex novo Judicis officio petenda, &
conſtituenda eſt, ſed tamen neque augeri neque minui poteſt
prior taxa, niſi iuſta cauſa accedat intermediæ alterationis
paternarum facultatum, vel ſtatus, & qualitatis, quæ aug-
mentum, ac reſpectivè decrementum pro eodem Judicis
arbitrio exigat, ſecus autem ubi dos non retinea propriam
ac præciſam profectitiam qualitatem, ſed adventitia cen-
ſenda ſit, cum tunc dicta reverſio, ſeu conſolidatio non
detur. *u*
Adeoque aliqui voluerunt taxam ſemel à patre factam al-
terari non poſſe, ut crediderint idem procedere, ſi illa inter
vivos, vel etiam per ultimam voluntatem facta eſſet abſque
ſubſequuto effectu, neque impleta conditione matrimonii,
quæ explicitè, vel implicitè ineſſe dicitur, puta quia pater
certam dotem conſtituerit pro certo matrimonio, quod de-
indè ſequutum non ſit, ſed aliud tamquam primum contrahi
debeat, ſive quod putans mori per ultimam voluntatem po-
ſteà revocatam, vel ineffectuatam, eamdem dotem ſtatuat,
quod tamen utpote nulli probabili fundamento innixum, at-
que tam rationi quàm communi uſui contrarium, nullate-
nus recipiendum videtur. *x*
Tertius caſus eſt fratrum, vel aliorum ratione ſexus, vel
agnationis ex iure municipali excludentium fœminas à pa-
terna ſucceſſione inteſtata, vel etiam teſtata, ſi teſtamen- 179
tum iuri excluſivo conformat, & tunc intrat diſtinctio, an
fœmina efficiatur extranea, cui tamen ab eodem iure muni-
cipali dos decernatur, vel adhuc remaneat ſua, itaut dos
ſuccedat necne loco legitimæ, ut in caſu quo ſuitate retenta
ſuccedat, dicendum ſit in omnibus idem quod de patre mo-
riente in præcedenti caſu dictum eſt circa quantitatem, ac
naturam legitimæ eiuſque privilegia; ubi verò ſuitate ſubla-
ta, dos non ſuccedit loco legitimæ, ſed ſolùm ex iuris mu-
nicipalis beneficio debetur, tam circa taxam, quàm circa
privilegia, tunc non intrant termini legitimæ, ſed illi dotis
congruæ, ſeu de paragio, cum eadem implicita conditione
matrimonii, quod huiuſmodi dotis debitum producit, &
non aliàs, ideoque forenſes quæſtiones, quæ deſuper ha-
bentur, percutiunt magis unius, vel alterius partis dictæ di-
ſtinctionis applicationem, quàm eius veritatem in genere,
an ſcilicet, & quando Statutum, vel aliud ius municipale
extraneam filiam, vel potius illi ſuitatem conſervet, à quo
pendet, an dos ſuccedat necne loco legitimæ, ſuper quo
nimium immorari ſolet in verborum formulis, quibus
idem ius municipale utatur, an ſcilicet incipiat ab ex-
cluſione ſimpliciter demandata, poſtmodum verò deman-
detur dotatio, vel è converſo excluſio conditionem do-
tationis ad eius eſſentiam, ſeu perfectionem contineat;
probabilius tamen videtur huiuſmodi formulas certam,
ac determinatam regulam non tradere, ſed pro facti qua-
litate ſubſtantiam voluntatis ſtatuentium attendi debere,
fortiùs verò ubi obſervantia illi diverſam interpretatio-
nem tribuerit, cum iſta verborum formulæ prævalere de-
beat. *y*
Pluribus etiam quæſtionibus deſuper cadentibus in caſu
teſtati, an ſc. & quando parens recedendo à ſtatutaria ex-
cluſione, filiam ſuitati reſtituere voluerit, quod pendet ab 180
eo, an diſpoſitio ſit cum ſtatuto excludente compatibilis,
ſuper quo pariter quicquid ſcribentes ſe involvant, certa &
determinata regula dari non poteſt, cum dicatur quæſtio
potius facti & voluntatis quàm iuris, ideoque adinſtar om-
nium aliarum ambiguæ voluntatis quæſtionum decidenda
ex facti qualitate, & circumſtantiis, unam, vel alteram vo-
luntatem ſuadentibus. *z*
Ac etiam ſuper modo huiuſmodi dotem detrahendi ab
eo patrimonio, à quo fœmina dotanda excluſa eſt, an ſci-
licet ex univerſo aſſe ante maſculorum legitimam tamquam
æs alienum, vel potius ex reliquo beſſe, vel ſemiſſe poſt legi-
timæ detractionem, ſive an unica dotatio ſufficiat, vel
quælibet reſpectivè in qualibet ſucceſſione requiratur, quod
pariter pendet à formula verborum Statuti, vel ab inter-
pretatione, quam ſibi obſervantia dederit, quæ tamen om-
nia, & ſimilia detractionum, vel ſucceſſionis materiam
potius quàm dotalem percutiunt, ideoque in propria ſede
videndum. *a*
Sub hoc tertio caſu maſculorum, vel reſpectivè agnato-
rum fœminas excludentium, cadit etiam inſpectio taxæ
dotis

dotis de paragio, quæ feudatarii filiabus per feudi ſucceſ-
ſorem conſtitui debet, ſuper quo non habetur regula, ſeu de-
ciſio generalis, quæ pendet ex feudi natura, ſeu qualitate,
vel moribus, aut juribus particularibus Principatuum, vel di-
tionum, in quarum aliquibus ad legitimæ rationem, ſeu
menſuram hæc taxa demandata videtur, ſed hoc pariter feu-
dali magis quàm dotali materiæ congruum eſt. *b*
Prout cadit & altera dos, quæ in ſubſidium fœminis de-
ſcendentibus ab ordinatore fideicommiſſi de jure decernitur;
182 in iſta enim nullatenus intrant termini legitimæ extra fœmi-
nas primum gradum occupantes, ſed ſolum illi dotis con-
gruæ, ſeu de paragio, conſideratis omnibus circumſtantiis,
quæ in primo caſu dotis conſtituendæ per patrem viventem
conſideratæ ſunt; quinimò in hac dote tanquam ſubſidiaria,
à quodam legis potius exorbitante beneficio reſultante, ma-
gis circumſpectè procedendum eſt, ut nonniſi ad congruen-
tiæ neceſſitatem, non autem ad luxum detractio fiat, intra ta-
men illam virilem, quam fœmina dotanda habere debuiſſet,
ſi eſſet maſculus, ultra quam non extenditur ejus jus, quam-
vis illa congruam non conſtitueret, attento tamen tempore
matrimonii, non autem illo delatæ ſucceſſionis, ut ſuprà
ad hujuſmodi dotis fideicommiſſariæ materiam adverti-
tur. *c*
Cadentibus etiam ſub hac taxæ inſpectione quæſtionibus
circa hæc bona differentia feudalia, emphyteutica, vel fi-
183 deicommiſſaria, an de illis habenda ſit ratio in calculo patri-
monii ad effectum congruæ taxæ, & an in ſorte, vel in fru-
ctu, quod non de facili certam regulam generalem recipit,
ſed pro facti qualitate decidendum eſt cum pluribus diſtin-
ctionibus deſuper tradi ſolitis. *d*
Quartus eſt caſus aliorum, qui ex juris diſpoſitione, ſeu
judicis officio ratione ſanguinis, vel charitatis ſubſidiariæ
184 dotis obligationem habent, abſque eo, quod ſaltem de tem-
pore quo dos conſtituenda eſt, cadat obligatio legitimæ; &
tunc totum pendet ex dictis generalibus circumſtantiis in
primo caſu patris viventis ponderatis, dum legitimæ inſpe-
ctio non intrat; idemque in quinto caſu ſtupratoris, vel ra-
ptoris, quorum reſpectu non attenditur qualitas ipſius do-
tare debentis, ut in patre aliiſque conjunctis, ſed ipſius do-
tandæ, cum ea inferiori qualitate, quam ipſe raptus, vel
ſtupri actus inferat, ob quam major dos pro ſuppletione de-
fectus deſideretur; licèt enim aliqui crediderint ad hanc ſup-
pletionem tantùm ſtupratorem, vel raptorem teneri, abſque
eo, quod pater, vel alter dotare obligatus à ſua obligatione
dotandi eximatur, attamen id receptum non eſt, cum ad in-
tegram teneatur, ſi ejus vires patiuntur. *e*
Demum verò, quoad ſextum caſum dotis conſtituendæ ex
185 diſpoſitione hominis, rara eſt in foro quæſtio taxæ, cum
frequentiùs ab eodem homine illa fieri ſoleat; ſed quando
caſus præberet talem diſpoſitionem eſſe indefinitam, quia
nempè ſimpliciter diſponatur certas puellas dotari, ſive et-
iam incertas de certis, cum intelligatur de dote congrua,
intrat eadem regula, quæ de patre vivente habetur, diſcre-
tivè tamen, ac pro facti qualitate, ſeu veriſimili mente diſ-
ponentis.
Putarunt aliqui ſub hac inſpectione de paragio cadere ſo-
186 lùm eam dotem, quæ fœminis legitimis, & naturalibus
conſtituenda eſt, ſecùs autem de illa, quæ debetur naturalibus
tantùm, quaſi quod hæc non habita ratione qualitatis perſo-
narum, vel quantitatis patrimonii, ad ſolos limites neceſſi-
tatis naturæ, ſeu alimentorum reſtricta ſit; contrarium ta-
men eſt verius, ut taxari debeat juxta neceſſitatem congruen-
tiæ, proportionatæ tamen hujuſmodi perſonis, natalium
defectum patientibus, quibus utpotè extra agnationem exi-
ſtentibus, neque familiarum decorem conſervantibus longè
minor dos quàm legitimis, & naturalibus taxati ſolet, & de-
bet juxta morem regionis, quæ in propoſito nimium atten-
denda eſt, ad effectum inſpiciendi, an de aliis circumſtan-
tiis, & qualitatibus, ex quibus congruitas regulanda venit,
habenda ſit ratio necne. *f*
Procedunt hæc omnia in ſingulis reſpectivè caſibus cum
187 præſuppoſito dignarum, ac parium nuptiarum, cum ab
hac paritate vocabulum paragii derivatum ſit, ſecus autem
ubi de imparibus, vel indignis nuptiis agatur; impares ete-
nim dicuntur non ſolum ubi, juxta unam opinionem, ſint
ſolum inferiores, quo caſu non indignæ, ſed inæquales di-
cuntur ut infrà, ſed etiam ubi ſint excedentes conditionem
188 mulieris, quæ viro longè dignior ſit, tunc etenim laudandæ
quidem potiùs quàm damnandæ ſunt nuptiæ, ex quibus pa-
rentes conqueri non poſſunt, ut eſt in caſu converſo, non
per hoc tamen dotandi obligatio, ſive dotis congruitas in
præjudicium non conſentientis amplianda eſt, quoniam
nubendum eſt pati, niſi defuncto eo qui dotare tenetur, ex
facti circumſtantiis ejus voluntatis præſumptio, ſeu veriſi-
militudo cadat. *g*
Ut etiam contingere ſolet in dote extrahenda ex fideicom-
miſſo aſcendentis; quod etiam in caſu augmenti dotis per
virum deſcendentem conſtituti mulieri nobiliori, ſeu aliàs
ad inæqualitatem compenſandam quandoque receptum eſt,
ut ſcil. etiam iſtud augmentum ex fideicommiſſo extrahatur,
quod in dicto ſolo caſu veriſimilis voluntatis, & non aliàs
recipiendum venit.
Ubi verò agitur de caſu converſo indignarum, vel reſpe-
ctivè inferiorum nuptiarum, quas mulier magis qualificata
cum viro inferioris conditionis contrahat, ſcribentes aliqua-
liter ſe involviſſe videntur in explicatione harum nuptiarum
indignarum; aliqui enim nuptias indignas tantùm contrahi 189
credunt, quæ cum viro criminoſo, vel infami, ſeu aliàs
animi maculas patiente contrahantur, curando diſtinctè re-
cenſere cauſas indignitatis, alii verò indefinitè indignas cre-
dunt eas nuptias, quæ cum viro inæquali contrahantur; &
alii putant indignitatem reſultare ab infectione, vel clande-
ſtinitate matrimonii, quamvis aliàs vir eſſet æqualis, vel
majoris ordinis, exemplificando potiſſimum in eo matrimo-
nio, quod inter conjunctos intra gradum prohibitum con-
trahatur, plureſque alias deſuper adhibendo diſtinctiones;
omnes tamen hujuſmodi opiniones ita ſimpliciter ſumptæ
parum probabiles videntur, potiuſque rejiciendæ, quàm re-
cipiendæ.
Verius etenim videtur diſtinguendos eſſe hujuſmodi in-
ſpectionis effectus, an ſcilicet agatur de illa formali, & ve-
ra indignitate, quæ æquipolleat proſtitutioni, unde cauſet
eoſdem effectus, quos dicta proſtitutio producit, omnimo-
dæ ſcilicet denegationis juris petendi dotem, vel exhæreda-
tionis cum ſimilibus in jure ſtatutis, quoties ante annum 25.
id ſequatur; vel potius de illa generica, & impropria indi-
gnitate, quæ ita nuncupatur per quemdam modum loquen-
di, ad diſtinctionem omninò æqualium, ac dignarum nuptia-
rum, non tamen producente dictos effectus exhæredationis,
vel omnimodæ denegationis dotis, ſed ſolum illum diminu-
tionis taxæ aliàs congruæ de paragio.
Ad primum effectum, indignæ nuptiæ dicuntur illæ, quæ
contrahantur cum viro adeo inæquali, ac diverſæ infimæ
conditionis, quod dedecus, ac injuriam poſitivam patri,
agnationi, & parentelæ cauſent, puta quod puella nobilis
quamvis privatæ, ſed generoſæ, aut aliàs qualificatæ nobili-
tatis nubat vili pedeſtri famulo, aut ruſtico, ſeu artifici, aut
alias plebeo, itaut ipſa ſtatum omninò mutet, ac de uno or-
dine ad alium inferiorem, ac vilem tranſeat; vel compara-
tivè, ſi filia Magnatis virum ducat quamvis civilem, vel
nobilem nobilitate privata, & ordinaria, juxta eas nobili-
tatis ſpecies; ac diſtinctiones, quæ habentur *ſub tit. de præ-
minentiis, diſc.* 35. adeout eadem intret proportio idemque
reſultet effectus iniuriæ ac deturpationis decoris parentum,
& familiæ.
Secus autem ubi vir ſit quidem inæqualis, ac inferioris
ordinis, adeout de facto communi opinione ob notabi- 190
lem inæqualitatem nuptiæ indignæ reputentur, non ta-
men cauſent dictum effectum poſitivæ injuriæ, ac detur-
pationis, puta quia nobilis ſpheræ maioris nubat nobili ſphe-
rę minoris, ſeu non nobiliter viventi, ita & taliter, quod
non adſit tranſitus ad ordinem omninò diverſum, & infi-
mum, cum tunc in iure iſtę nuptię non reputentur indi-
gnę, ſed potius inferiores, ſeu inęquales, iuxta exemplum
per Juriſtas frequenter aſſignari ſolitum de Comitiſſa nuben-
te Doctori cum ſimilibus.
Iſto autem caſu, quamvis non reſultet dictus primus effe-
ctus exhęredationis, vel omnimodę indotationis, adhuc ta- 191
men reſultat alter diminutionis taxę, vel paragii, quoniam
cum mulier viri conditionem ſequatur, atque inter circum-
ſtantias in dotis taxatione conſiderandas, ut ſupra, ſit illa
conditionis viri, hinc proinde prorſus incongruum eſſet fœ-
minę ita ſine facto, & culpa parentis inęqualiter nubenti eam-
dem decernere dotem, quę attentis aliis circumſtantiis pro
nuptiis omninò dignis ac ęqualibus decernenda eſſet.
Quinimò quamvis vir natalibus attentis paris nobilitatis,
vel qualitatis dici mereretur, fortunæ autem bona, vel alię 192
circumſtantię illum de facto redderent inæqualem, adhuc
iſtius inęqualitatis ratio in dotis taxa habenda videtur; ac
etiam alterius inęqualitatis, vel diverſitatis morum, quę re-
ſultet ab ejuſdem viri patria, in qua domicilium habendum
ſit, atque matrimonii onera ſubſtentari debent, quamvis 193
in reliquis ęqualitas concurreret, quoniam ſi in patria viri
minor ſit dotium taxa, minoreſque ſint expenſæ pro one-
rum

rum ſupportatione, quam in patria mulieris, adhuc de iſta inæqualitate haberi debet ratio, cum ſimilibus circumſtantiis prudentis judicis arbitrio, ſpectato fine, ſeu effectu, ad quem dos requiſita eſt in ſumma congrua, & proportionata; neglectis aliquibus Juriſtarum ineptiis, quæ deſuper habentur, cum certa, & determinata regula generalis deſuper tradi non valeat, ſed tanquam in quæſtione potius facti quàm juris deciſio pendeat à facti particulari qualitate, ac ſingulorum caſuum circumſtantiis.

Prorſus autem rejicienda eſt opinio volentium veram in-
194 dignitatem reſultare à nuptiis prohibitis, quamvis inter perſonas aliàs dignas, & æquales, puta quia in prohibito gradu conjunctas, id enim continere videtur unam ex inſinuatis ineptiis; aut enim diſpenſatio Apoſtolica ſuper impedimento ſubſequitur, aut non; ſi non ſubſequitur, fruſtra quærendum eſt de taxa dotis, quæ non datur ſine matrimonio, & ſi ſubſequitur, tunc quia diſpenſatio revalidat in radice, omneſque abluit maculas, non intrat proinde aliqua indignitas, quamvis in caſu non ſequutæ diſpenſationis, ſequutæ autem conſumationis matrimonii invalidi ponderari valeat de ſtricto jure adeſſe quandam ſpeciem proſtitutionis, quæ indignis nuptiis æquipollet ad prædictos effectus exhæredationis, vel omnimodæ denegationis dotis, nunquam tamen, vel nimium raró in foro contingibilis videtur caſus, quod ſimplex puella publicè, palam in figura matrimonii atque ſub ſpe, vel præſuppoſito diſpenſationis, quæ quandoque citra culpam ex aliis impedimentis obtineri non poteſt, haberi debeat jure proſtitutæ. *i*

Omnia præmiſſa circa taxam dotis congruæ, ſeu paragio in omnibus ſupra exemplificatis caſibus procedunt in ſola juris communis generali diſpoſitione, quoties non obſtet lex municipalis dotium moderatoria, quæ certæ taxæ metam
195 prohibeat, tunc etenim judicis arbitrium ex facti circumſtantiis ut ſupra regulandum circumfertur in taxa, quæ ſit infra ſummam à lege præfinitam, cum talis eſſe valeat perſonarum qualitas, ut talis meta exceſſiva ſit, ſecus autem in exceſſu, quoties lex decretum annullativum contineat.

Et quamvis ſuper hujuſmodi legum validitate plures exci-
196 tatæ ſint quæſtiones; vel quia dos utpote de jure gentium debita per jus poſitivum præſertim municipale prohiberi non valeat; vel quia diceretur lex matrimonii libertati præjudicialis; à foro tamen hujuſmodi quæſtiones exulant, in Scholis, vel Academiis pro ingeniorum acumine reſidentes, quoniam cum, ut ſupra advertitur, verius ſit dotem etiam in origine, ſeu ſubſtantia à jure poſitivo manare, idcircò nil prohibet, eamdem legem poſitivam etiam tollere, multò magis pro publico bono moderari poſſe abſque aliquo libertatis matrimonii præiudicio, dum ubi lex eſt generalis in loco, ceſſat ratio dictæ libertatis impeditiva; quinimò magis receptum eſt huiuſmodi leges favorabiles, & commendatione
197 dignas potius cenſendas eſſe, atque Reipublicæ utiles, quamvis ut plurimum de facto cæremoniales potius eſſe videantur propter uſum de facili concedendi diſpenſationem, quæ præſertim in Urbe, ubi talis lex viget, paſſim concedi ac nemi-
198 ni denegari ſolet.

Ex hac autem facilitate, vel uſu diſpenſandi plures effe-
199 ctus reſultant, duo præſertim, primò ſcil. quod Judices ac Magiſtratus juxta dictas regulas generales iuris communis, nulla ratione habita dictæ particularis legis moderatoriæ, dotes congruas, ſeu de paragio taxant ac decernunt, ſub præſuppoſito tamen, ſeu explicita, vel implicita conditione derogationis, vel diſpenſationis, quæ licèt nemini denegari ſolita, adhuc tamen obtinenda eſt, neque aliàs obligatio in
200 ſumma excedente afficit, neque aliqua actio ejus vigore eſt exercibilis; & ſecundò quod in hujuſmodi derogationibus
201 ſeu diſpenſationibus attendi non ſolet vitium ſubreptionis vel obreptionis, aut defectus intentionis, quod in aliis gratiis, & diſpenſationibus cadere ſolet ob expreſſionem, vel taciturnitatem illarum rerum, ſeu circumſtantiarum, quæ gratiæ denegationem, vel difficultatem parere potuiſſent, & è contra.

Plures autem ſuper huiuſmodi legibus municipalibus cadunt quæſtiones, peculiarem tamen dotis materiam non con-
202 cernentes, ſed cuicumque ſtatuto, ſeu legi municipali in quacumque indifferenti materia congruæ, puta ſuper activa, vel paſſiva comprehenſione Eccleſiaſticorum ac forenſium, ſeu aliàs à legislatoris iuriſdictione exemptorum, ſive ſuper qualitate bonorum, quæ in dotem darentur, exiſtentium extra territorium, vel quod extra iſtud fieret contractus, aut circa revalidationem à iuramento reſultantem, cum ſimilibus ut dictum eſt generalibus, nil peculiare habentibus in dote, quæ proinde in ſuis ſedibus generaliter habentur.

In his autem ſpecialibus terminis aliquæ habentur quæſtiones, an ſcil. huiuſmodi leges comprehendant mulierem ſeipſam dotantem, vel an taxam ſtatutam excedere liceat ex motivo ſupplendi defectum deformitatis, vel corruptionis, ſeu alterum quem mulier pateretur cum ſimilibus in ſua ſede videndis.

Quia verò huiuſmodi leges in Civium ac ſubditorum gratiam prodierunt, idcircò receptum eſt, eas non prohibere civibus & ſubditis, ut exteras, & non ſubditas cum maiori 203
dote ducant; atque derogatio, ſeu diſpenſatio pro uno matrimonio in eadem ſemel validè conſtituta dote ſuffragatur quoad alia poſtmodum contrahenda.

Cadunt etiam plures quæſtiones ſuper dicta derogatione, ſeu diſpenſatione, præſertim ſuper eius retrotractione, ac revalidatione actus ab initio, adeout non præiudicent mulieri intermedii actus dotis iam taxatæ diminutivi; ac etiam circa dictæ diſpenſationis præſumptionem reſultantem à 204
longi, vel longiſſimi temporis lapſu iuncto cum obſervantia, quod pariter non concernit peculiarem materiam dotis, cuius favore in propoſito aliquid ſpeciale dignoſcatur, ſed regulatur cum terminis generalibus, quos habemus in materia cuiuſcumque extrinſecæ ſolemnitatis præſumendæ, cum aliis quæ ad huiuſmodi legum materiam in ſua particulari ſede acta habentur. *l*

n *diſc.* 1. *&* 2. *& diſc.* 144. o *locis proximè, ſupra citat.* p *d. diſc.* 144. *& diſc.* 167. *eod. tit.* q *eiſdem, diſc.* 1. *&* 2. 142. *&* 144. r *d. diſc.* 144. *ac etiam in ſupplem.* ſ *d. diſc.* 144. *ac etiam diſc* 90. *&* 155. t *eiſdem diſc.* 144. *&* 155. u *d. diſc.* 144. *& diſc.* 152. x *ibidem proximè ſupra.* y *De his diſc.* 144. *&* 155. *ac etiam diſc.* 5. 13. *&* 14. z *De his locis proximè citat. ſed magis ſub titul. de legit. & detract.* a *d. tit. de legit. & detract.* b *ſub tit. de feud. diſc.* 26. *&* 108. c *diſc.* 36. *&* 145. *cum aliis de quibus ſupra ad materiam Auth. res quæ.* d *diſc.* 144. e *diſc.* 142. *&* 144. f *eod. diſc.* 144. g *diſc.* 1. *&* 2. *& d. diſc.* 142. *&* 144.

h *diſc.* 49. *&* 149.

i *de his omnibus, d. diſc.* 1. *&* 2. 142. *&* 144.

l *de his omnibus ad materiam legis dotium moderatoriæ, diſc.* 22. *cum duobus ſeqq. & diſc.* 143.

De actione, vel remedio competente dotandæ adverſus dotare debentem pro dote conſtituenda, & an talis actio ſit ſummaria, & executiva, & quomodo, & de quo tempore ſit exercibilis.

INanis autem eſſet omnis legis, vel hominis obligatio, quæ non produceret actionem, vel aliud remedium, quo mediante renitens obligationem implere ad id cogi non poſſet, atque id quod lex, vel homo præcipit, exequutioni non de- 205
mandari; hinc proinde ad hunc effectum de pluribus quæri ſolet, primò ſc. an dotis conſtitutio debita ſit officio iudicis, vel potius iure actionis; ſecundò an pro ea competat 206
hypotheca, ſeu aliud privilegium; tertiò an eius cauſa ſit ſummaria, & executiva; quartò ubi ſint plures in dicta obligatione æquales, an dotandæ competat actio contra quemlibet inſolidum, vel ſolum pro virili; quintò circa tempus, in quo dotis conſtitutio peti valet etiam ante matrimonium, & quomodo; & ſextò an hoc ius petendi dotem conſtituendam ſit ceſſibile, vel tranſmiſſibile.

Quoad primum, in ea dotandi obligatione quæ in parentibus aliiſque coniunctis reſultat ex diſpoſitione legis ratione ſanguinis, vel charitatis, excepto patre idoneo, & pro 207
prima dote, verius eſt, iudicis officio non autem iure actionis eam exercibilem eſſe; in patre autem eſt ſub quæſtione, aliquibus volentibus iſtam obligationem utpotè ſtrictiorem eſſe iure actionis; probabilior tamen, magiſque communis videtur opinio, ut quod in aliis ut ſupra procedit, in patre quoque locum habeat.

In illis autem, quorum obligatio provenit quidem etiam à iure communi, non autem ex dicta ratione ſanguinis, vel charitatis, ſed ex altera delicti, ut ſunt ſtuprator, & raptor, 208
contrarium dicendum eſt; prout in obligatione reſultante à ſtatuto excluſivo fœminarum per filios maſculos, vel alios agnatos, quibus iniungitur onus dotandi eaſdem fœminas, 209
idem dicendum eſt, ut ſcil. iure actionis hoc ius petendi dotem competat, quod alii explicant ſub termino condictionis ex lege, vel ſtatuto. *m*

Extra verò controverſiam eſt iure actionis debitam eſſe dotem conſtituendam ex diſpoſitione hominis, ſive per contra- 210
ctum, ſive per ultimam voluntatem, ac etiam per pactum nudum, quod actionem producit, dum in dote illud peculiare

habetur, ut etiam pactum nudum, quod de juris ſtricta cenſura actionis productivum non eſt, id operetur. *n*

Quo verò ad ſecundam quæſtionem ſuper competentia hypothecæ legalis, quoties agatur de dote conſtituenda ex
211 diſpoſitione hominis per ultimam voluntatem, certum eſt intrare illam hypothecam, quæ à lege tribuitur legatis, quorum jure dotanda hujuſmodi hypothecam obtinet, ſive diſpoſitio ſit voluntaria, & ex liberalitate, ſive ex neceſſitate, eorum ſc. qui aliàs ratione ſanguinis, vel charitatis, aut delicti dotare tenentur, quoniam huic diſpoſitioni majus robur tribuendum eſt; cadente ſolum quæſtione in caſu diſpoſitionis conditionalis, an ſc. hypotheca deſumatur à die mortis teſtatoris cum retrotractione, vel potiùs à die puri-
212 ficatæ conditionis, ob concurſum eorum, qui medio tempore jus in bonis per hæredem poſſeſſis acquiſiiſſent, aliquibus dictam retrotractionem ſimpliciter negantibus, aliis autem diſtinguentibus inter ſpeciem, & quantitatem, ut primo caſu retrotractio detur, ſecus autem ſecundo; utraque tamen rejecta, probabilior magiſque recepta videtur ea quæ retrotractionem ad tempus mortis teſtatoris concedit. *o*

Ubi verò agitur de dote debita ex diſpoſitione juris doti
213 conſtituendæ, verius eſt hypothecam non competere, ſed ſolum actionem perſonalem, tum quia id non reperitur in jure diſpoſitum, atque ex veriori, magiſque recepta ſententia dos eſt ſolùm privilegiata in caſibus expreſſis, tum etiam quia dicitur debitum etiam in parentibus originatum ab alio debito legitimæ, cui verius eſt hypothecam non competere. *p*

Effectus autem notabilis videtur in dotare obligatis ex
214 delicto, ut ſunt ſtuprator, & raptor, ſeu patris homicida, ob concurſum creditorum hypothecariorum eorumdem, quamvis poſteriorum: in aliis verò ratione ſanguinis, vel charitatis ut ſupra obligatis, certum eſt verificabilem non eſſe iſtum concurſum, cum ſemper creditores ipſius dotare debentis quamvis chirographarii vincant dotem conſtituendam, unde propterea de hoc quæri ſolet cum tertiis ab hæredere dotare obligatis jure dominii, vel hypothecæ jus medio tempore acquirentibus, quoniam contra eos agendo, vel eoſdem in concurſu repellendo, illa perſonalis actio, quæ dotandæ competit, potius realis, vel in rem ſcriptæ na-
215 turam ac operationem habet etiam contra tertios jure dominii, vel hypothecæ jus ab hærede habentes, aliquo præjudiciali effectu ex hypothecæ carentia reſultante ex neceſſitate excuſionis aliorum bonorum priuſquam contra tertium agatur, vel in feudis. *q*

Crediderunt aliqui hypothecam competere in bonis fi-
216 deicommiſſo ſubjectis, ſuper quibus puellis deſcendentibus lex ut ſupra concedit facultatem petendi dotem ſubſidiariam, moti ex aliquorum aſſertionibus, ut aſcendentium bona pro deſcendentium dote affecta ſint, ſtante quod obligatio oriens à ratione ſanguinis, ad hæredes ac bona ut ſupra eſt tranſmiſſibilis; verùm erronea eſt hujuſmodi opinatio, utpotè nulli innixa fundamento, quoties non accedat fideicommittentis diſpoſitio, ex qua tanquam ex legato hujuſmodi effectus reſultet; improprium enim eſt, ut ſubſidiariæ, & conditionali obligationi aſcendentis defuncti plus tribuatur, quàm tribuitur puræ ac ſimplici obligationi parentis viventis; bonorum etenim affectio, ita per antiquiores explicata fuit ad denotandam hujuſmodi obligationis tranſmiſſionem, ac etiam peculiarem naturam hujuſmodi actionis perſonalis pro ejus exercitio, & competentia contra tertios poſſeſſores, ut ita ſpectato effectu ſpeciem realis, vel in rem ſcriptæ habeat, non autem quod exinde inferri valeat ad hypothecam, quam idem importare ac dictam affectionem æquivocando aliqui crediderunt; remanente ſo-
217 lùm dubietate circa dictam ita privilegiatam perſonalem actionem per dotandam contra tertium exercibilem, an ſc. id procedat in illis partibus, in quibus per jus municipale ad favorem creditorum hæredis fideicommiſſis majorum derogatur, ut eſt in ſtatu Eccleſiaſtico illa lex quæ nuncupatur Bulla Baronum, ita ad favorem creditorum, Baronum, ac Domicellorum diſponens, quod utpotè ſpeciale, aliis regionibus non commune, ſuam particularem habet tractationem, ubi videri poteſt. *r*

218 Item in dote debita ex ſtatuto, putarunt aliqui competere hypothecam, ſed malè, cum id nullum habeat juris fundamentum, præterquam ubi ſtatutum directum eſſet ad bona quorum reſpectu aliqua contineret verba, quæ hypothecam præſeferre videantur, ut in dictione, ſuper exemplificari ſolet; quod tamen non eſt extra dubietatem, ſed pariter modicus eſt hujus inſpectionis effectus, cum ita ſupponatur concurſus cum tertiis cauſam habentibus ab hærede, & ſucceſſore, qui dotandam ex ſtatuto excludit, unde propterea intrant ea quæ de actione perſonali habente vim realis, vel in rem ſcriptæ ſaltem in ſubſidium facta excuſſione dicta ſunt.

Circa tertiam quæſtionem, an judicium pro dote conſtituenda; ſive ſit officio judicis, ſive juris actionis, ſit ſummarium ac executivum excludens appellationem ſuſpenſi- 219
vam; & ſuper prima parte concordant ſcribentes, ut ſit ſummarium non ſubjectum ſolemnitatibus, quibus de jure, vel ſtylo ſubjecta ſunt judicia ordinaria; diſcordant verò circa alteram viæ executivæ, aliquibus eam tribuentibus, aliis verò magis communiter pro regula negantibus, iſtaque opinio probabilior, magiſque recepta eſt, quoties non aſſi- 220
ſtat aliqua ex limitationibus, quas dicta regula patitur; idque generaliter ac indefinitè in quacumque dote, ſive de conſtituenda, ſive etiam de conſtituta aſſequenda, vel de reſtituenda agatur; & quamvis publicum inſtrumentum etiam juramento vallatum accedat, quoniam jure communi attento, una, vel altera qualitas, vel utraque ſimul juncta hunc effectum non operatur.

Plures autem limitationes hujuſmodi regula recipit, conſtitutæ ſolvendæ, vel reſtituendæ dotis magis congruę, illam præſertim reſultantem à pactis, vel clauſulis executivis, ſive à jure municipali tribuente generaliter viam executivam pu-
blicis inſtrumentis, ut in Regno Neapol. diſponitur per Ri- 221
tum M. C. V. atque in Urbe eſt ſtatutum, quod doti tribuit viam executivam etiam contra tertium poſſeſſorum bonorum debitoris, quod etiam diſpoſitum eſt in Regno Siciliæ ultra per particularem ritum, quoties tamen agatur de dote conſtituta, ſeu debita per ſcripturam, cui tale privilegium attributum videtur, cum ſubditis tamen, unde ſi eſt laicale non afficit perſonas, vel bona Eccleſiaſtica.

Ideòque non intrat in dote conſtituenda, cui duæ limitationes congruere videntur, una ſcilicet, ubi agatur de conſtituenda ex diſpoſitione hominis per ultimam voluntatem
ex eadem ratione, ex qua ſupra dictum eſt legalem hypo- 222
thecam competere, jure ſcilicet legati, pro quo, excepto Tribunali Rotæ, quod contrariam ſequitur opinionem, in reliquis Tribunalibus Urbis, ac etiam magis communiter ubique recepta eſt altera opinio, ut via executiva competat, neque admittatur appellatio ſuſpenſiva, niſi ubi agatur de legato ambiguo, quod pendeat ab interpretatione, à qua magis quàm ab ipſo legato appellatio concedenda videtur, ſive ubi ſuper ipſius legati validitate probabilis cadat dubietas.

Et altera eſt limitatio, ubi res deſideret celeritatem, adeout mora periculum contineat, ſive irreparabile præjudicium cauſet, quod in dote conſtituenda frequentiùs eſt 224
practicabile, ubi ſcilicet agatur de puella ſupra nubilem, quæ viduitatem cum periculo honeſtatis ulteriùs pati non debeat, cum ſimilibus prudenti judicis arbitrio ex facti qualitate penſandis.

Pro fructibus quoque ſive uſuris dotalibus plures crediderunt, ac forus quandoque recepit idem privilegium viæ executivæ competere, ducto argumento ab alimentis, quorum loco hujuſmodi fructus cedunt, quod tamen in vera juris ratione, ceſſante dicto motivo celeritatis ac irreparabilis præjudicii ex mora reſultantis, parum probabile videtur, quoniam etiam alimenta, ubi jure actionis magis quàm officio judicis debita ſunt, quinimò etiam ea quæ officio judicis, ubi non ſunt futura, tale privilegium non habent. *ſ*

Super quarta ſuperiùs diſtincta quæſtione, an ſcilicet, ubi plurium æqualis eſt dotis obligatio, ut in conſtituenda frequenter contingit in pluribus fratribus, ſeu aliis eodem gradu conjunctis, vel parentis hæredibus, quorum reſ- 225
pectu non dubitatur, ut quoad eos æquale ſit contributum, quod etiam conſtitutæ ſolvendæ, vel reſtituendæ frequenter congruit, an ſcilicet contra ſingulos agendum ſit pro virili, vel competat actio inſolidum contra unum, vel plures creditori placitos, quibus ex beneficio diviſionis, vel ex ceſſis juribus detur poſtmodum contributi, ſeu reintegrationis actio.

Atque ubi agitur de dote conſtituta ſolvenda, vel reſtituenda, licèt non deſint volentes hoc ſolidi privilegium doti competere, verius tamen eſt, ut ceſſante voluntate teſtatoris, vel alia particulari circumſtantia ex pacto, vel jure municipali reſultante, dos in hoc nullum habeat privilegium; in conſtituenda verò, quamvis eadem regula ſtatuenda ſit, de facili tamen limitanda venit ad inſtar alimentorum, quando intret eadem ratio celeritatis, & peri-